















1. Bertolini 1608
2 Willich 1582

3 ouvrages



METHODVS CVRATIVA GENERALIS ET COMPENDIARIA:

EX HIPPOCRATIS, GAleni, *Auicennæ & Montani Placitis, in Medicinæ studiosorum gratiam descripta;*

Auctoribus Medicis præstantissimis,

ALPHONSO BERTOTIO ITALO, *Medico Fanense;*

ET:

IOANNE CRATONE DE CRAFFTheim, *Silesio, Cæs. Maiest. olim Archiatro.*

Accesserunt Ideæ doctrinæ Hippocraticæ:

I. De generatione pituitæ:
II. De Melancholico humore:
III. De coctione & præparatione humorum:
IV. De victus ratione.

AVTORE IOAN. BAPT. MONTANO.

FRANCOFVRTI,
APVD IOANNEM SAVRIVM,
impensis Nicolai Steinii.

M. DC. VIII.

Epigramma Ioann. Ewich. D.

Non negat exiguo Liber hic se corpore natum,
Sed paruus gemina commoditate valet.
Vtilitas etenim rerum breuitasq; bonarum
Mole vel immensa sunt potiora mihi.



CLARISSIMO ATQVE EXPERIENTISSIMO VIRO, DOMINO

Henrico Calliopædi, Solitariensi, Medicinæ artisque Spagyricæ Doctori solertissimo; Illustris & Generosi Domini, Domini Philippi Ludouici Comitis in Hanavv & Rineck, Domini in Müntzenberg/ꝛc. à consiliis Medicis, affini suo maximè colendo,

NICOLAVS STEINIVS CIVIS & Bibliopola Francofurti Imperialium S.

DECIMVSQVARTVS *iam agitur annus, Affinis Amantissime (Affinis enim per trãslationem dicitur alicuius rei particeps) à quo vt nosti, à te in hanc ciuitatem melioris status, promotionis & reputationis causa coacte concessi: Quo quidem tempore quam iucundam in animo meo tuam conseruârim memoriam; volui sane re ipsa & iam denuo testatum reddere. Attamen quid mirum, si cessante illo in patria præsentiæ inuicem antehac optatæ aëre, & vrgente coactæ absentiæ tem-*

pore, tantisper voti explendi occasiones surreptæ? Mitius certe quod cōmune; malum certius quod magis vulgare. Itaq; Affinitatem illam ardentem ac flammeam & cōstantiam animi mei constantem adhuc & firmā credito. En, vt confidentius loquar, meæ erga te beneuolentiæ, Affinitatis dulcissimæ & obseruantiæ aliquod testimoniū quod leui dense quidem apparere agnosco graue tamen existere. Tibi enim non modo Affinitatem, sed & omnia obsequia & conatus meos in perpetuū esse dicatos iterum polliceor, imo spondeo.

Secundo igitur hanc Methodum curatiuam duplicē à duobus Medicis præstantissimis, Italo & Germano, ex Hippocratis, Galeni, Auicennæ & Montani placitis depromtam, ac in ordinem redactam, ad omnes morbos recta ratione curandos, studiosis Medicinæ summe necessariam, nunc denuo opera mea in lucem editam, tu Medice elegantiss. & humanissime, pro tua illa Humanitate tuo nomini inscriptā, obsecro recipito, suscipito & defendito. Tibi tuæq; tuisque denique omnem felicitatem. Vale Francofurti Imperial. Cal. Septemb. 1608.

INDEX CAPITVM,

QVÆ IN HAC MEDENDI MEthodò continentur, in quo prior numerus caput; posterior paginam denotat.

PARS PRIMA, IN QVA MEDICINÆ principia, Res præter naturam, Naturales, & non naturales explicantur.

De


Pars Altera, De recta curandi ratione per venæ sectionem.

Pars Tertia, De recta purgandi ratione per Pharmacum.

De

FINIS.







METHODI PARS PRIMA,

In qua Medicinæ principia, Res præter Naturam, Naturales, & non Naturales explicantur.

Recta ratione Morbos curaturus, quæ, & quot considerare debeat.

CAP. I.



MEDICINÆ finis ſanitas eſt. hæc vel adeſt, vel abeſt: ſi adeſt, Medici officium eſt eam in corpore conſeruare, ac tutari: ſi abeſt, ipſam reſtituere. Reſtituitur ſanitas, cum morbus leuior eſt, à Natura, nulla Medici ope concurrente: cum vero grauior eſt, artem requirit. Ars autem, & artifex, authore Galen. 11. Method. cap. 1. ſanitatis cauſæ fiunt, non quod primum (vt facit Natura) morbos ſubmoueant; ſed alia quadam natura ad id comoda intercedente, quod auxilium dicitur. Medicus igitur,

Finis Medicinæ. *Officium Medici.* *Ars, & Artifex quomodo ſanitatis cauſa fiant.*

cum recte auxilia adhibebit, tunc amissa sanitatem poterit restituere. Recte auxil adhibentur, cum ipsorum Genus, Quanti tas, Vtendi modus, & Temporis occasi cognoscitur. Gal. 1. ad Glau. c. 1. Genus autem auxilii semper morbo contrarium es debet: quare, vt auxilia commoda reperiatur, naturam morbi Medicus prius nota habeat, oportet. Et, quoniam non satis e contrarium auxilii genus inuenisse, sed quantitas ipsius perspicienda est: hæc autem tunc potissimũ artifici innotescit, cu naturalem totius corporis, & partium, temperaturam nouerit, Temperaturam quoque cognoscere debet. Quantitate ve perspecta, videndum est, quomodo singulis vtendum sit remediis, quod assequetu cum partium nexum, situm, consensum formationemque sæpius conspexerit. Frustra denique hæc omnia tentaret, nisi virtutis curam haberet; quæ, vt aduersatrix, morbo opponitur, teste Galen. 11. Meth. cap. Quare, qui recta ratione morbos curare intendet, hic primo virtutis essentiam considerabit, vt eam custodire valeat: tum Partium formationem, sensum, situm, connexionemque: deinde totius corporis, partium laborantium temperaturam: postremo morbi naturam noscere studebit. morbi igitur natura orationis meæ exordi capiam.

Quæ à Medico considerari debeant.

Qu

Quid sit Morbus, & de Morborum numero.

CAPVT II.

QVONIAM curatio contrariis remediis perficitur, quot ſunt Morbi, totidem ſane reperiuntur, quæ illis aduerſantur remedia: & hæc Galeni fuit ſententia 2. Method. cap. 6. Quot igitur morbi, & qui ſint, Medicus ignorare non debet. Sed antequam morborum diuiſionem adeat, morbum ipſum (quod Galenus 2. Method. cap. 6. & pluribus in locis faciendum præcepit) definire debet. Morbus autem quid ſit, ex definitione ſanitatis cognoſcetur. Sanitas naturalis eſt omnium partium corporis conſtitutio, ex qua operationes ſine vitio proficiſcuntur, Galenus de differ. morb. cap. 2. Quod ſi hæc ſanitas eſt, eius profecto contrarium morbus erit, nempe Conſtitutio præter naturam lædens operationes. Morborum vero alii ſunt proprii partium ſimilarium, alii inſtrumentalium, alii ſunt vtriſque communes. Primus morbus partium ſimilarium eſt intemperies, & hæc vel ſimplex, vel compoſita. Simplex eſt, vt intemperies calida tantum, frigida tantum, humida tantum, ſicca tantũ. Compoſita eſt, vt intemperies calida, & humida;

Tot remedia, quot morbi.

Definitio diuiſioni præferenda.

Quid ſanitas.

Quid morbus.

Quot morborum genera, & quæ.

Intemperies quid.

Intemperies vel ſimplex vel cõpoſita

Intemperies vel sine materia, vel cũ materia.

da; calida, & ſicca; frigida, & humida; frigida, & ſicca. Et hæ intemperies, vel ſunt ſine materia, cum partes ſimilares ſolis tantum qualitatibus alterantur: vel cum materia, quando ad eaſdem partes aliqua confluit ſubſtantia, in qua eædem ſunt qualitates. Sine materia intemperies eſt, vt cum ex nimio motu, vel calefactione ſolis, vel ignis, crura alicuius tantummodo ſupercalefacta fuerint. Intemperies vero cum profluuio materiæ apparet in tumoribus, vt in inflammatione, eriſypelate, ædemate, & huiuſmodi aliis. hique omnes partium ſimilarium ſunt morbi. Citrinus vero oculorum color, quo omnia citrina videntur, & linguæ amaritudo, quæ inter morbos habentur, ad ipſam intemperiem referuntur. Colores enim & aliæ ſecundæ qualitates, primas omnino ſequuntur: morbos tamen, qui in mala formatione, & quantitate ſunt, ad primas qualitates ſemper referre abſurdum eſt, cum quantitas qualitate prior ſit, nec ita ab ipſa dependeat, vt ſecundæ qualitates è primis. Hactenus de morbis partium ſimilarium. Nunc alterum morbi genus ſequitur partium inſtrumentaliũ, quod mala compoſitio dicitur, ſeu mala conformatio, quæ in plures morbos diſtribuitur. Primus eſt, cum membrum vel habet incommodam, & vitiatam figuram; vel debita

Citrinus oculorum color, & linguæ amaritudo ad intemperiẽ referuntur.

Abſurdũ eſſe morbos in quantitate ad qualitates primas referre.

Compoſitio mala, cuius quatuor genera enumerantur.

bita

pita cauitate, & meatuum magnitudine, & multitudine caret: vel pro leui asperum, aut pro aspero leue redditur. Secundus mauæ compositionis morbus est in numero, cum pars aliqua minime necessaria superabundat, vel quod homini opportunum erat, deficit. Defectus autem, vel est partium funditus abolitarum, vel partium ex dimidio præcisarum, & mutilatarum. Tertius consistit in magnitudine, & in hac duplex fit morbus, vel in nimia excrescentia, augmento, & magnitudine; vel in nimia diminutione, extenuatione, aut paruitate. Cum enim propter hæc membrum non recte suum officium implet, morbo laborat. Alius denique morbus est in positione, cum situs naturalis partium variatus est; aut partium communicatio permutata est: vt, cum articuli suis sedibus excidunt, vel omentum, aut intestina in inferiores testiculorum partes deuoluuntur. Ad hanc etiam differentiam ægritudinis attinent, si labra vlcerata, si palpebræ, vel digiti præter naturam coaluerint. Reliquum est ægritudinis genus vtrisque commune, & partibus similaribus, & instrumentalibus: & hæc continuitatis, siue vnionis solutio, aut diuortium vocatur; sed vt diuersis partibus accidit, varia nomina sortitur. Quæ enim in osse fit, fractura dicitur: quæ in carne, *Solutio continui.*

vlcus; quæ in musculis, ruptio: quæ in neruis, conuulsio. Hunc morborum numerum latius Galenus in lib. De differentiis morborum inuestigauit, exemplisque illustrauit.

Quod nulla sint morborum genera, præter ea, quæ Galenus enumerauit.

CAPVT III.

EX his clarum est, & conspicuum, nec plures, nec pauciores morbos reperiri, nisi Auicenna, & Iuniores quidam hic nobis negotium facessant; qui plures morbos videntur attigisse. Auicenna in 2. pri. doc. 1. cap. 2. dixit tres esse ægritudines, quarum aliæ malam complexionem, aliæ malam cõpositionem, aliæ continui solutionem sequuntur: ac si alii morbi darentur ab intemperie, mala compositione, & continui solutione: quos tamen Galenus, cum operationes lædant, morbos appellauit. Nam, cum naturalis omnium partium cõstitutio, quæ in temperatura est, compositione, & partiũ vnione, sanitas sit; cur non & constitutio, præter naturam, vt intemperies, mala compositio, & solutio continui, morbi iudicandi erunt? In hoc itaque Auicenna grauiter lapsus est. Ex Iuniorum autem Medicorum diuisione difficillima quæstio consurgit.

Auicennæ opinio.

Confutatio.

Noua Fernelii opinio cõtra Galenũ.

rgit. quidam enim ex iis, acrius ſubtiliuſ-
ue in morborum numerum incumbentes,
tia eorum genera partibus ſimilaribus inſi-
ere arbitrantur: vnum materiæ immode-
ationem appellant, alterum intemperiem,
ertium totius ſubſtantiæ corruptelã. Nam,
um omnis pars ſimilaris ex tribus conſtet,
x temperamento, materia, & forma, ſi ex
horum (aiunt) bona conſtitutione ſanitas,
& integritas partis ſimilaris conſeruatur;
in mala quoq; iſtorum conſtitutione mor-
bum collocare neceſſe eſt. Differentias ve-
ro materiæ, mollitiem, & duritiem; laxi-
tatem & aſtrictionem; tenuitatem, & craſ-
ſitiem; raritatem, & denſitatem eſſe affir-
mant. Totius vero ſubſtantiæ corruptelam
morbum ſtatuunt, eamque putredinem
eſſe exiſtimant. Quæ ſane, vt noua ſunt,
ita & nouitate ſua plurimos in errorem tra-
here poſſunt. Cur enim obſecro alios mor-
bos in medium proferre, cum omnes Ga-
lenus complexus fuerit? alioqui mali Me-
dici nomen ſubiiſſet, ſi in libro De diffe-
rentiis morborum data opera eorum nu-
merum inquirens, morbos à materiæ im-
moderatione, aut à totius corruptela ex-
ortos præteriiſſet. Nam, quamuis hoc
illis condonemus, raritatem & denſita-
tem in intemperiem referri non poſſe;
nonne in alium morbum conformationis

Cõfutatio & defenſio Galeni.

redigi poterunt? cum debita figura in debita cauitate, ac meatuum multitudine, magnitudineque consistat? Quod cum ipsi vidissent, dixerunt se per rarum & densum, laxum aut astrictum, non ea intelligere vitia, quæ venarum, arteriarum, aliorumve instrumentorum ductibus incidunt, quod morbi sint in figura; sed quæ pars similaris ex primordiorum concursione & permixtione contraxit, ea morbos esse partis similaris. Vanum sane, & nullum subterfugium, ad quod confugiunt. Siue enim hæc vitia aduentitia sint, siue natura protinus in vtero contracta fuerint, semper ad morbum in conformatione, & figura pertinebunt. Quod si raritas, & densitas, laxitasque & astrictio naturales fuerint, vt naturalibus functionibus obeundis nihil noceant, inter morbos nequaquã reponi debent. Cum igitur raritas vel densitas meatibus accidunt; vel concauitatibus ex obstructione aut laxitate ægritudines proueniunt, omnes hæ ad formationis genus referuntur, vt testatur Galenus in libro De differentiis morborum cap. 7. Præterea in hoc longe non solum à Galeno, sed etiam à veritate aberrant. Cum enim omnis actio partium similarium fiat ratione temperamenti, spiritusque & calor, qui fortasse (vt nonnulli arbitrantur Philosophi, ac

Subterfugium tollitur.

Medici

Medici summi) substantia virtutum existát, eaque ratione, qua bene tẽperati sunt, functionũ causæ sint (forma enim, quæ est anima, indiuisibilis est, nec morbis subiicitur) morbique primo operationes lædant: non equidem video, quinam alii morbi ab intemperie partibus similaribus insidere possint? Quod si Galenus 11. Meth. cap 1. singulis similarium partium tribuit propriã pro natura sua, tum qualitatẽ, quæ ex temperie calidi, frigidi, humidi, & sicci, consistit, tum quantitatem: id sane verum est. Nam partes similares ratione substantiæ similis, cum quælibet pars eius idem habeat nomen & rationem cum toto, similares vocantur: cũ vero singulę, vt neruus, vt arteria, vt vena, vt os considerantur, prout figuram, numerum, & situm habent, non amplius similares, sed dissimilares appellantur. Quantitas autem etsi actionis causa non est, quia tamẽ actiones meliores, firmioresq; efficit, maximum habet ad actiones momentum. Itaq; cum instrumentalium partiũ læsiones, vel penitus actiones prohibent, vel impediunt, ægritudines putantur: & hac ratione morbi in partibus instrumentalibus collocantur. Quod vero dicunt putredinem morbũ esse totius substantiæ, in hoc decipiuntur, cum putredo morbi causa sit, non morbus; qui semper in parte corporis residet, quæ so-

Locus Galen. declaratur.

Quomodo in quantitate, quamuis ipsa actionis causa nõ sit, morbi fieri possint.

la primum & per se functionum est opifex. Quare pari quoque ratione non dabitur morbus ex totius substātiæ corruptela, cū spiritus & humores, neque sint partes corporis, neque dicantur. Nec Gal. aliam putredinis causam cognouit, nisi intemperiē. itaque iubet 9. Meth. c. 5. vt ad sanguinem detrahendum festinemus, quo venarū natura ex transpirando ventilandoq; humoribus eo, quo inter initia modo, dominetur; quando, si ad intemperiem versa laborabit, metuendum est, ne hi putrescant. Sed hi Iuniores ad abditas, & occultas recurrūnt causas, quod omnium commune est perfugium: nec his Medicus, cum artifex sit sensitiuus, omnia accepta referre debet: nā siqui morbi diuiniores dentur, hi ad scientiam Medicinæ non pertinent. Atque hæc de morborum numero.

Putredinis causa est intemperies.

Morbo diuinitus affecti ad Medicum non pertinēt.

Quomodo morbo cognito remedia inueniantur. CAP. IIII.

TOT igitur præter naturā affectibus cōstitutis, Medicus cuique suum contrarium remedium opponere debet: vt, si intemperies calida fuerit, illi refrigerās opponat medicamentum: si frigida, calefaciens: si humida, exsiccans: si sicca, humectans. Si aderit materiæ multitudo illi oppōat euacuationem: si crassities, attenuationem: si len-

Vt contraria contrarijs curentur.

ntor, detersionem: si relaxatio, robur: si utredo, refrigerationem, ventilationem, c expurgationem. Obstructioni autem suo cõtrario medebitur, quod est apertio, vt docuit Gal. 11. Meth. cap. 13. Sic & solutioni cõtinui uo contrario resistet, videlicet partis adunctione, ac vnione. Qui vero morbus sit, vnusquisque ex propriis signis pathognomicis, ex temperatura ægri, ætate, præcedẽti victu, tempore anni, regione, statu cœli, & ex causis externis primitiuis cognoscetur.

Quibus signis singuli morbi cognoscantur.

Morbo autem cognito videre debet, an ille simplex sit, an aliis morbis complicatus. Si simplex est, vel sine causa consistit, vel à causa dependet. si sine causa est, vt verbi gratia caliditas tantum, hæc ex sui tantum contrario ad temperiem reuocabitur. Si adest causa, primo causa, post vero affectus submouendus est. Illud enim pro comperto habẽdum est ex Galeni sententia 7. Meth. cap. 12. non posse ad perfectionem vllum affectum sanari, manente adhuc ipsa, vnde natus est, causa. Quoniã vero vnius morbi plures causæ esse possũt, hic methodo opus est, vt Medicus primo à causis euidentibus incipiat, donec ad proximam morbi causam depellendã accedat: vt in febre putrida methodo resolutiua procedet, qua Gal. 11. Meth. cap. 10. Primo enim à causa ipsius, hoc est à putredine incipiet, cuius aliquid potest esse iã factum,

Morbus vel simplex vel implicatus.

Quomodo simplex morbus curãdus sit.

Quo ordine procedẽdum cum plures causæ adsunt

Methodus resolutiua Galeni in febre putrida.

ctum; aliud vero generari. Quod iam factũ est, sanare debet; quod in generatione est inhiberi. Sed hoc fieri non potest; nisi prius causa putredinis, quæ est obstructio, remoueatur. obstructio autem fit, vel ex multitudine humorum; vel ex ipsorũ crassitie, aut lentore. Hoc ergo vltimum, quod in methodo resolutiua est inuentũ, in curatione primum erit peragendum: deinde vero pro causarum ordine, & ipsarum ortu, ac connexu curatio procedat, vt primo à causa, quæ ortu suo proxime morbum gignit, inuestigatione vero per resolutionem vltima inuenta fuit, recta curatio initium ducat; subinde vero & aliæ causæ ordine: postremo & morbus propulsandus. Et hac methodo in affectibus simplicibus curandis procedendum est. Quod si affectus compositi sunt, & impliciti, qua ratione & methodo curandi sint, explicemus.

Causa inuestigatione vltima primo curanda.

Compositi & impliciti morbi, qua methodo curandi. CAP. V.

SI qui morbi sunt, qui exquisita methodo indigeant, vt certo ordine & ratione remoueri possint: ii profecto sunt plures impliciti, & compositi morbi, cum frequentius accidant, quam simplices. Qua igitur methodo sanandi sint, & vnde curationem auspicari debeamus, operæpretium est considerare.

Morbi implicati frequentius accidũt, quam simplices.

iderare. Cum plures morbi coniuncti sunt, videndum est, an inuicem conueniant, & tunc curatio facilis est: vel inuicem dissentiant, & tunc curatio difficilis redditur: vel denique an partim conueniant, partimque dissentiant. Dissentientes igitur plurium morborum conplexiones, qua methodo sanabimus? non alia sane, quam à Galeno nobis assignata 3. Meth. cap. 9. Triplicem n. nobis finem propositum esse in his cōplexionibus affirmauit: vnum à causis sumptum eius, quod futurum est: alterum ab eo, quod rationem obtinet eius, sine quo non: tertiũ eius, quod accelerantium, & vrgentis rei rationem habet. Sed iam id exemplis illustremus, quæ duo erunt: alterum in quo causa vrgens cum aliis non habebitur: alterum, in quo causa vrgens aliis coniungetur, qua præsente curatio irregularis euadit, absente autem curatio regularis est ac legitima. Primum exemplum posuit Gale. 3. Meth. cap. 9. sit enim vlcus cauum sordidum cum intemperie, seu phlegmone; ordo curandi legitimus in hoc, cum causa vrgens non adsit, talis erit, vt primo causam eius, quod futurum est: secundo causam sine qua non, consideremus. Quoniam vero in hoc casu subiectæ carnis temperies generationis nouæ carnis futuræ causa est, ideo primo loco carnis temperies; sordes autem & cauitas eius sine

Quæ Methodus Gale. in morbis implicitis, & complexis.

Exemplum, in quo non est causa vrgens.

ſine quo non rationem habent, ſecundo i-
gitur loco ſordes,&cauitas ſananda erit:vl-
timo vero vlcus glutinandum. Itaq; ad hæc
reſpicientes , facile ordinem ſanationis in
his cõplexis affectibus inueniemus. Quod
ſi caſus accidat, inquo cauſa vrgens adſit
Conſiliũ Galeni, cũ cauſa vrgens adeſt. tunc Gale. conſilio nobis 1. ad Glauc. cap.
14.& aliis locis tradito,vtendum erit:vt pri-
mo in complicatis affectibus aduerſus id,
quod magis vrget,inſtemus,neque alterum
omnino negligamus.Methodum hanc Ga-
lenus docuit 7.Meth. cap. 12. & exẽplo no-
bis magis perſpicuam reddidit:prius tamen
methodum ſuperius traditam nobis in me-
Tres fines propoſiti in affectuum complexu. moriam reuocauit. Tres n. fines in affectuũ
complexu conſiderandos propoſuit:primũ
id, quod magis vrget, & à quo diſcrimen æ-
gro maxime impendet:ſecundo loco, quid
rationem cauſæ obtineat, & quæ ab hac ef-
ficiãtur: tertio,quæ ſanari ante alia poſſint,
& quę non poſſint: & hoc eius ſine quo nõ,
Quid prius curandũ ſit. rationẽ obtinet. Vbi n. cauſa vrgens adeſt,
ad hanc primũ curantis conſiliũ dirigi de-
bet: vbi aliud eſt efficiẽs, aliud quod ab eo
efficitur, cauſa ipſa eſt ſpectanda: vbi hoc
ante illud curari non poteſt, ad id, ꝙ ordo
Triplex affectus magnitudo. dictat reſpiciendum eſt.Id aũt, ꝙ magis vr-
get, ex affectus magnitudine cognoſcitur.
hæc vero triplex eſt,alia ſpectatur ex læſæ a-
ctionis præſtantia, alia ex propria affectus
eſſen-

essentia, tertia ex facultate, quæ læsum corpus gubernat. In eo, quod causæ rationem habet, animaduertendum est, quid eorũ, quę inter se coniuncta sunt augere reliqua possit; vel quæ rursus ab eo gignantur, vel augeantur. In eo, quod habet rationem causæ sine qua non, videndum est, quid ante quod, quid cum quo, quid post quod, sanandum sit. His cognitis & consideratis, recto ordine & methodo affectus coniuncti curari poterunt. Sed iam in particularibus nos hac methodo exerceamus, exemplo in quo causa vrgens adsit, in medium allato. Fingatur ergo, quod alicui quidam humor frigidus superfluus ex cerebro ad ventriculum defluat, & ex hoc mala intemperies in ventriculo sit contracta: multaque copia humoris illius in sinu eius & tunicis collecta sit: adde quod hic affectus morsum in ore ventriculi faciat, qui & defectus animi & syncopis causa sit: in hoc affectu complicato, quomodo procedendum? Primum ergo illi, quod magis vrget, & vires resoluit, occurrendum est. Hic enim affectus, quia facultatem lædit, maximus est: ideo ab hoc primo, tanquam magis vrgente, ineunda est curatio. Deinde quod ex propria essentia maximum est, copia succorum remoueri debet. Postea vero pro causarum ordine totum curandum est.

Exemplũ in quo est causa vrgens.

Ordo

Causa sine qua non, modo contraria indicat affectioni, modo illi nihil nocet.

Ordo autem curationis, qui accipitur à causa, sine qua non, modo contraria indicat, vt in exemplo prius proposito: modo alteri affectui nihil nocet, vt in hoc proximo casu. Euacuatio enim humoris existentis in sinu ventriculi nihil nocet humori, qui est in eius tunicis. humore autem hoc modice expurgato fons & origo fluxionis, quæ à cerebro est, curari debet. Vltimo vero intemperies remouenda: hæc enim omnibus aliis dignitate, & ex læsæ actionis præstantia maior est. Et hæc curatio, cum adest causa vrgens, illegitima est: cum vero non adest, nec morsus ventriculi, qui vires resoluat, nec nimia humorum copia in ventriculo; recta, & legitima curatio primo à cerebro incipiet, ipsumque sanabit: deinde vero humorem ex sinu ventriculi euacuabit: postea tunicas eius expurgabit: postremo malæ intemperiei medebitur. Atque hæc est seruanda methodus in affectibus, quibus causa vrgens coniuncta sit. Quod siquando sæuius aliquod symptoma morbo iungatur, primo symptomati occurrendum est; quia tunc causæ rationem habet. Symptoma enim, qua symptoma est, nec curationis rationem indicat, nec primum immutat, cum affectus signum sit, vnde affectu, à quo nascitur, cessante, vna & ipsum cessat. Contingit tamen symptomata nonnunquam curandi rationem mutare,

Curatio illegitima, vel legitima.

Cum morbo sæuius symptoma iungitur, quæ sit curandi methodus.

Symptoma quandoq; habet rationem

are, quia causæ tunc temporis, rationẽ habent. Tum autem rationem causæ habent, cum vel virtutem lædunt, vel affectionem; vt dolor; & vigiliæ, quæ vires lædunt: cum autem immodicę fuerint, affectioni nocent. Ob id ratione curandi, quam institueramus mutata, symptoma submouere primum cogimur: & hac ratione longiori temporis spacio morbus sanatur, vt habetur ex Galeno 12. Meth. cap. 1. & 11. Meth. c. 11. Hæc igitur methodus in affectibus, quibus sæuius aliquod symptoma iungatur, seruanda erit. Nunc complicatorum affectuum curatione exposita, ad reliqua accedamus.

causa, vnde curatio mutatur.

De totius corporis & partium temperatura, & an remediorum quantitas ex ea cognosci poßit. CAP. VI.

IAM vero morbi natura perspecta, remediisque inuentis consentaneum est ipsorum quantitatem inquirere. Hæc autem ex totius corporis, & partium principum Temperatura dignoscitur. Sed quis statim dubitabit, an Temperamenti cognitio ad certam remediorum quantitatem, & mensurã definiendam aliquid faciat: cum hæc magis ex magnitudine morbi, quam ex temperamẽto petenda videatur. Quod sane verum est. magnitudo enim affectus certam remediorum quantitatem indicat: at non primo, sed

De Temperatura, quæ res naturalis est

Quæstio an morbi magnitudo remediorum quãtitatem indicet.

Solutio.

alio quodam intercedente, id est, temperatura. Nō enim potest sciri magnitudo morbi, nisi prius quantus excessus à naturali habitu, & temperatura factus sit, cognoscatur, vt Galenus voluit, 1. ad Glauc. c. 1. inquiens quod, cum aliquando Medici ægros visere cogantur, cum quibus, dum sani erāt, versati non fuerant, ideo quem colorem, quam habitudinem, quem natiuum calorem, aut natiuum pulsum à natura haberent, ignorant, quę si scirent, morbi magnitudinem iudicare possent. Nam quantum vnumquodq; à naturali statu recedit, ad tantam magnitudinem morbus peruenit. quantum vero recedat, solus ille scire potest, qui naturalem exquisite cognouerit. cū igitur hoc ipsis ignotum fuerit ad commune confugiunt. Quare naturalem temperaturam noscere oportet, vt certam remediorū quantitatem inueniamus. Idem quoq; scriptum reliquit, 3. Meth. c. 7. non cōmunem & generalem hominem curari, sed nostrûm quenq; aliud temperamentum, naturamq; habētem. idcirco particularem cuiusq; temperaturā cognoscere opus esse. Hinc se talem futurum sperabat, qualē animo Æsculapiū fuisse cōcipiebat, si cuiusque priuatim naturā explorare ad vnguem potuisset. Sed quoniam id fieri nō poterat, certe vt (quā homini licet) quam proxime accederet, & seipsum exercebat; & alios,

Quanta vtilitas habeatur ex cognitione particularis temperaturæ.

ios, vt ita facerent, adhortabatur. Itaq; cum laborantis temperies vna cũ morbo remedii mensuram definiat, vt legere est apud Gal. 11. Meth. c. 1. propriam cuiusq; naturã perspectam habere conuenit. Quod, cum difficile sit, tum ex iis, quæ in libro de Temperamẽtis scripta sunt, tum vero ex iis, quę in 9. Met. cap. 15. & 1. ad Glauc. c. 1. habentur, inuenire tentandũ est ex ætate, ante acta vita, colore, calore, habitudine corporis, pulsu, exercitiis, consuetudine, animi moribus, differentia maris à fœmina, regione, anni tempore, cœli statu. Hæc enim omnia, si Medicus optime distinxerit, & certiorem notitiã acquiret, & ad propriam laborantis naturam cognoscendam proxime accedet. Verum, quoniam totius corporis temperatura ex partium principum temperaturis cõsurgit, cerebri inquam, hepatis, cordis, harum partium temperaturæ ignorandæ non sunt. Si igitur cerebrum calidum fuerit, id hæc signa ostendent: quæ circa caput omnia rubicundiora, & calidiora apparent: & venæ, quæ in oculis sunt, magis sensui patent: capilli vero nigri sunt, & crispi; & ætate progrediẽte caluitiem patiuntur: hisq; facillime ex calidis cibis, & potib. caput repletur: excrementaq; pauca habent, & cõcocta per nares, palatum, oculos, & aures: breuib. denique somnis huiusmodi tẽperaturæ contentæ sunt.

Conclusio.

Temperatura cuiusque ex quibus noscatur.

Totius corporis temperatura oritur ex temperatura partium principum.

Signa cerebri calidi.

Cerebri frigidi signa. Signa vero frigidi cerebri his cõtraria sunt. nõ enim partes circa caput rubicundæ sunt, & venæ oculorum sensum effugiunt: hi multis abundant excrementis; rectos, & tenues habent capillos: & à frigidis læduntur: ac quodammodo somnolenti sunt. Quod si

Cerebri humidi signa, & sicci. cerebrum humidum sit, capilli plani sunt, nec calui fiunt; plurima excrementa aggregantur: sensusq; turbidi, ac multũ somnolenti sunt. Siccum vero cerebrum declarant capilli robusti, & crispi: pauca excrementa: sensuum perspicacitas, & vigilia. Hepar au-

Hepatis calidi signa. tem, si calidum fuerit, ex latitudine venarum noscetur. vnde & iis, qui calidiore hepate sunt, flaua bilis est abundantior: ac sanguis calidior, iisq; venter, & hypochon-

Hepatis frigidi signa. dria hirsuta sunt. Frigidum vero angustas habet venas: pituitam plurimam coaceruat: sanguinemque frigidiorem. Quod si

Hepatis humidi signa. humidum sit, sanguis abundantior erit, & humidior: venæque molliores, ac totum

Hepatis sicci signa. corpus. Contra siccum crassiorem sanguinem generat; & ex durioribus venis totoq; corpore sicciore cognoscetur. Cordis autẽ

Cordis calidi signa. temperatura, si calida fuerit, eam propria signa indicabunt: pulsus velox, & frequens: magnitudo respirationis: in rebus audacia: & ad actiones promptitudo: iracundia: pe-

Frigidi signa ctusque hirsutum, ac hispidum. Sin frigida; pulsus minores erunt: respiratio minor: pe-

ctus

tus pilis nudum: hiusmodique timidi sunt, & segnes. Quod si humida fuerit, pulsus molles; & ad iram procliues sunt, quæ tamen facile sedatur; totumq; corpus humidum est, nisi hepar obstiterit. Sicca vero pulsus efficit duriores: iram non promptam, sed feram, & quæ non facile sedari possit: corpusque vniuersum siccius existit, nisi hepar impedimento fuerit. Hæc itaque signa partium præcipuarum temperaturam indicabunt.

Humidi cordis signa.

Sicci cordis signa.

Quomodo remediorum quantitas sit cognoscenda. CAP. VII.

NVNC enitendum est, vt certam remediorum quantitatem inueniamus; quæ cum cognitu difficillima sit, maxime digna videtur, vt peritum artificem non lateat. Remediorum enim quantitas, vt cognoscatur, artificiosa eget coniectura. artificiose autem coniicere viri est (vt testatur Gal. 2. De ratione vict. in acu. com. 37.) qui omnium, quæ in arte sunt, vires didicerit, & memoriæ mandauerit, omnique diligentia sese in artis operibus exercuerit, cuiusmodi pauci reperiuntur. Cognita ergo ægri naturali temperatura, & excessum eius, ipsum que facile assequetur. Quorsum autem? vt eatenus medicamentorum vires intendat, quatenus corpus ad intemperiem ver-

Difficillimũ est remedii quãtitatem cognoscere.

Quomodo ex temperatura remediiquãtitas inuestigetur.

Hipp. præceptum. sum fuit. Interim tamen præcepti Hippoc. 2. Aphorism. 34. memor sit, minus in morbis eos periclitari; quorum & naturæ & ætati morbus cognatus fuerit: quam quibus nihil istorum congruit. Quod cum ita sit, intemperiem & morbos naturali temperaturæ similes leuioribus; contrarios vero vehementioribus remediis profligabit. Hinc fit, quod si iuuenis, & senex febri laborant, senex frigidioribus eget remediis; iuuenis vero minus frigidis: vnde & senex magis periclitatur, quam iuuenis. Quatuor autem cum sint intemperies, ratione prognostici noscere oportet, quænam illarum citius & securius, quæ vero tardius ac cum periculo sanentur: quod quam accurate Galenus 7. Meth. cap. 5. docuit. Intemperies enim calidas & frigidas inquit ad curandum faciles esse, propterea quod actiuis qualitatibus maxime corrigantur: ideo pari quoque tempore vtræque curantur. At securitas est impar; quia, cum refrigeramus, nisi corpora circumstantia fortia sint, noxia non parua sequetur. Intemperies autem humida & sicca ægrius curatur, longiusque tempus postulat: & maxime intemperies sicca, quæ aliquando, cum sit consummata, insanabilis est. Quare vt recte remediorum quantitas habeatur, id scire expedit, semperque pro eo, quod exuperat, eousque contrarium inducen-

In quibus morbis vehementioribus, vel leuioribus remediis vtendum.

Intẽperies, quæ citius, quæ tardius sanentur.

Curantur intemperies calidæ & frigidæ pari quidem tempore, sed non securitate.

Quousque

ſucendum eſt, quoad particula in ſymmetriam, & naturalem habitum reuocetur. Quod tum demum continget, cum debita menſura remedia admouebit. alioqui verendum eſt; ne, ſi intra modum id fiat, morbi quippiam ſuperſit: ſin modum excedat, contrarium genus morbi inducatur. Qui enim ſupra quam par eſt, calidum morbum refrigerat, is ſanitatis mediocritate prætergreſſa alium morbum, qui ſit frigidus, excitabit. Iccirco remedia ea menſura adhibenda ſunt, qua morbus à naturali ſymmetria exceſſerit. Nos enim (vt Galen. 9. Meth. cap. 15. monuit) partis affectæ alterationem quęrimus, non corruptionem, aut contrarium morbum. Itaque diligenter adminiſtranda, & mediocritate quadã ſeruata remedia tẽperanda ſunt, ita vt fortioribus quandoque morbis fortiora item remedia adhibeamus. Extremis enim morbis (ex ſententia Hippo. 1. Aphor. 6.) extrema remedia optima ſunt, quoniã in iis à paruis auxiliis incipiendum non eſt, nec parua tentãda: mox ſi nihil hæc profecerint maiora aggredienda. Nam vt ſcribit Gal. 5. Meth. c. 15. id in morbis verum eſt, in quibus periculum non impendet: at, vbi mortis periculum adeſt, alienum eſt à ratione à minoribus inchoare. Ideo vehemẽtiori exiſtente intemperie, vehementiorib. remediis vtendũ erit. quod ſi mediocris

Medicus cõtrariũ inducere debeat.

Cautio.

An vehemẽtiora, vel minora remedia initio conueniant.

ſit morbus, lente paulatimque curari poterit: nam, quod paulatim fit: tutum eſt: omne vero nimium naturæ inimicum. Plurimum igitur, & repente euacuare, aut replere, aut quouis alio modo corpus mouere, authore Hipp. 2. Aph. 51. periculoſum eſt. Hæc de quantitate remediorum inueniendà: nunc indicationes, quæ à partibus affectis ſumuntur, inquiramus.

Indicationes quæ à læſæ partis natura ſumuntur, quot ſint, & quid doceant.

CAP. VIII.

Quinq; ſunt indicationes quæ à partiũ natura ſumuntur.

QVINQVE potiſſimum indicationes ſunt, quæ à partium Natura ſumuntur, vt habetur ſeptimo Methodi cap. 13. Prima enim indicatio à partis laborantis temperie ſumitur; hæc autem menſuram applicandorum remediorum præſcribit, cum eatenus reduci ad Naturam debeat, quatenus à Natura receſſit, ac veluti quadam via retroferri, quæ in diuerſum agat ei, quę in ipſa facta fuit, tranſmutationi. Secunda vero indicatio ex pręſtãtia eius ſumitur, quod actio eius omnibus animalis partibus ſit cõmunis, aut quod cõmunem virtutem ſubminiſtret; & hæc indicatio remediorum quantitatem ac vſum nobis oſtendit. Si enim eius actio aliis partib. neceſſaria ſit, fortia & acria remedia illi admoueri non debent. quod ſi

Secunda indicatio ex præſtantia.

adſit

id sit tantum intemperies sine materia, ab hac nihil sumitur: si cum materia, tunc vacuatio fieri debet, sed cum cautione, ne ipsius robur dissoluatur: & maxime si opus eius necessariũ sit omnibus partibus, vt ventriculi, & iecinoris, quod si soli sibi seruiat, audacter vacuatio fieri potest. Pro dignitate vero partium cuiusque partis robori maxime prospiciendum, ideo maxime, cordi. post vero cerebro, & epati, & cuique suo ordine prospicere debemus. idque recta ratione fiet, si singularum partium vsus, actiones, & quarum facultatum principia sint, intellexerimus. Vnde fit, vt magis in ægris vitalis virtutis, quę in corde est, curam habere debeamus, ipsamque custodire, & eius robur seruare, quam robur virtutis animalis, quæ in cerebro est custodire. Cum. n. ægri sumus, cerebri opus ad voluntarias actiones, quæ per neruos fiunt & musculos, non est necessarium, nisi tantum iis, quæ ad respirationem sunt deputata. & hæc est secũda indicatio, quæ à partis præstãtia sumitur. Tertia indicatio ex partis figura sumitur, & ex hac modus vtẽdi remediis patet. pro partis enim figura curandi modus & vacuandi apparet. Exempligratia, ventriculus vomitu & deiectione vacuari potest, idque habetur ex eius figura. Intestina vero solum vacuantur per deiectionem, & iecinoris caua,

Cerebri opus in ægris non est necessarium.

Tertia indicatio ex figura.

Renes vero, vesica, & gibba iecoris, si multo vitioso succo abundent, per deiectiones; sin mediocri, per vrinales meatus expurgãtur. Cerebrum vero per nares, palatum, & aures expurgatur. Pectus vero, & pulmo per asperam arteriam, & fauces. Lien vero tantum per secessum expurgatur; cum, quæ per renes agatur, nulla huic visceri vacuando via pateat. Quarta indicatio à situ partis datur, à qua & remediorum applicandorum quantitas, & vtendi ratio haberi potest. Si enim morbus, & intemperies sit in profundo corporis, interualli ratio habenda erit. virtus enim ipsorum medicamentorum in lõgo itinere dissoluitur, & imbecillior redditur, ideo tunc paulo validioribus remediis vtendum est. Ex positione etiam partium illud discendum est, vt inferioribus intestinis laborantibus per clysterem aliquid infundendum sit: superioribus vero intestinis laborantibus per ea, quę eduntur & bibuntur succurrendum; vt suadet Galenus 13. Meth. cap. 17. Ad modum etiam vacuandi non parum facit partium situs, dum societatem laborantis particulæ cum aliis docet. & ideo, quia scimus hepati ventriculum & intestina subiici, hac ratione inuenimus hepar, & per aluum & per vomitum expurgari posse; licet prior euacuatio, quæ per aluum fit, sit aptior illa, quæ fit per vomitum.

Quarta indicatio ex situ

Intestinis inferioribus per clysterem superioribus per cibum & potum succurrendum est.

Quin-

Quinta ſequitur indicatio, quæ à ſenſu laborantis partis ſumitur, quod ſit vel acuti, vel hebetis ſenſus. nam ex hoc quantitas & remediorum natura cognoſcitur. Quæ enim pars acuti eſt ſenſus, valentiora remedia nō requirit. eius enim vis dolore reſolueretur. potius igitur tuto & in tempore illi mederi oportet. Quod ſi tardi, & hebetis ſit ſenſus, omne valentius medicamentum illi admoueri poteſt, celeriterque omnia tunc obire poſſumus. Hęc de indicationibus à natura partium acceptis dicta ſint: nunc de virtute diſſerendum eſt. *Quinta indicatio ex ſenſu.*

De virtute ſeruanda, & de indicationibus, quæ ab ipſa ſumuntur.

CAP. IX.

QVANTI virtus ipſa æſtimanda ſit, hinc eſt facile videre, cum nullum valentius remedium fieri poſſit, niſi virtus ipſa conſtet. Virtus enim ea eſt, quę morbo aduerſatur, ipſumque abigit. hac ratione Hippo. 6. Epid. comm. 5. Aphoriſm. primo dixit, Naturas eſſe morborum medicatrices. Vnde Gal. 1. de Ratione victus in acutis com. 45. Præcipuum ſcopum illum eſſe affirmauit, qui à virtute ſumitur. Sic & nono Methodi. cap. 13. dixit. Primam omnium indicationum eſſe eam, quæ à virtute ſumitur. Verum non ſic prima eſt, vt curationem doceat, cum ex numero curatricium indi- *Præcipuus ſcopus eſt qui à virtute ſumitur.* *Indicatio à*

Virtute non est è numero curatricium indicationum, sed vitalium.

indicationum non sit. Indicatio enim curatiua tantum à Morbo sumitur. Verum indicatio, quę est à virtute, ex numero vitaliũ indicationum, quę ad vitæ custodiam pertinent, habenda est. nam nec vt valeamus, nec vt à morbis liberemur, à virtute quicquam primum sumimus: sed vt viuamus. Maxima igitur virium dignitas est, quando viuere nobis ex harum custodia datur: vtpote cum vitam vel ipsas esse vires, vel eius actiones, necesse sit. Vita autem ipsa nihil prius in animantis corpore esse potest. Virtus ergo omnibus prima custodienda hominibus est. Sicut igitur morbus sui sublationem, ita & virtus custodiam indicat. At sublatio contrariorum indicat exhibitionem, custodia vero similium. virtus igitur similibus custodienda est. Quæ nam autem viribus similia sint, ex virium essentia noscitur. Virium ergo essentia, in quibus consistat, cognoscenda est. Essentia itaque virium ex sententia Galeni 11. Methodi cap. 1. & cap. 3. 12. Methodi cap. 5. tum in spiritu, tum in solidorum corporum temperamento consistit. hæc vbi integra sunt, seruanda veniunt: vbi corrupta sunt, ad integrum reuocanda. quomodo autem ea in sanis seruare necesse sit, hoc Galenus in libris suis de sanitate tuenda ostendit: quomodo autem in integrum reuocari possint, hoc in Methodo

Vita quid.

Virium essentia in quibus consistat.

meden-

nedendi declarauit. Spiritus igitur & solida corpora; (sub his enim & partes carniformes comprehenduntur) quę vires complent, propriam pro natura sua tum qualitatem habent, tum quantitatem: Qualitas ex congrua temperie calidi, frigidi, humidi, sicci constat. Quantitas in solidorũ est debita magnitudine. spiritus ergo substantia vna cum solidis corporibus sic à Medico in morbis custodienda sunt, vt tum qualitate, tum quantitate, quoad fieri liceat, naturaliter se habeant. tunc autem optime se haberent, cum quicquam substantię eorum non euacuaretur. hoc autem generabili corpori contingere non potest. tunc enim æternum & incorruptibile esset. Verum Animal statim genitum, ratione elementi ignei in se dominantis vsque ad mortem semper siccius redditur, & in qualitate mutatur. ratione vero insiti caloris, quem in se habet, continuo per insensibilem halitum solidiorum ipsius corporum substantia dissipatur & fluit, quantitasq; variatur: vt nullum, quod genitum sit, corpus hęc duo incommoda sibi congenita vitare possit. quod primo libro De sanitate tuenda cap. 2. Gale. ostendit. Ideo Medicus, vt vires custodiat, hęc duo incom̃oda coniungere debet, vt quod alteratur, in debitam temperiem per contrariam alterationem vindicet; quod vero sub-

Partes carniformes sub solidis cõprehenduntur.

Animal viuens vsque ad mortem semper siccius.

ſubſtantiæ fluxit, apponendo reſtituat. ſi ergo alteratio & vacuatio ſenſim & paulatim fiat, vtriuſque correctio paulatim fieri debet, & hoc ad Artem ſanitatis tuendæ pertinet. ſi ſemel & confertim fiat, tunc hæc correctio ad Medendi peritiam ſpectat. cuique igitur iſtorum ex iis, quæ ſimilia ſunt, moliri ſuam cuſtodiam conueniet. Spiritus autem Triplex eſt. alius animalis, & huius cerebrum veluti fons eſt: alius vitalis eſt, qui & in corde & arteriis continetur: tertius naturalis eſt, qui ſi datur, in iecinore & venis continetur. hos igitur ſpiritus ſeruare nihil aliud plane eſt, quam vitam ſeruare; ſeruabitur igitur ſpiritus Animalis ex ſibi ſimili, videlicet ex inſpiratione & reſpiratione, & ex eo, quod ſibi plexus reticularis ſuppeditat. Vitalis & ex reſpiratione, & ex eo, qui attollitur à ſanguine vapore. Sed accidit, vt ſpiritus vel alteretur, vel eſſentia ipſius corrumpatur. Alteratur vel ex prauis cibis, vel ex malitia aeris ambientis, vel ex venenatis facultatibus, vel cum animalium veneno. Corrumpitur vel ex affectu animi, vel ingẽti dolore, vel pluribus motibus, vel ex immodica ipſorum tenuitate, vel ex corporũ ipſos continentium rara textura, vel ex prohibita tranſpiratione, vel alimenti defectu: ideo his occurrendum eſt. maxime vero aeris & ciborum cura habenda eſt. Aer igitur, quem

Spiritus triplex eſt.

Spiritus naturalis ſi datur eſt in iecinore; dubitãter de hoc loquitur Gale quia hic ſpiritus in epate non ita apparet per viam ſenſus

Ex quibus ſpiritus alteretur, vel corrumpatur.

quem inſpiramus,tum optima temperie eſſe debet,tum ab omni inquinamento puriſſimus.nec aliquid ex caminis, metallis, aut paratris ſibi admiſceri,aut aliquid ex putredine leguminum, olerum, animalium, ſtagnorum,paludum,fluuiorumue cõtraxiſſe. Ciborum vero ac potionum non leuis habenda eſt cura,vt qualitate exacti,exquiſitique ſint:quantitate vero modici.Vnde ſolidorum corporum certæ ſubſtantiæ ac quãtitati maxime ſolido nutrimẽto ex cibis ſolidis conſulemus, temperiemque ipſorum ſimilibus, quoad fieri poteſt, ſeruabimus. Alteratam vero ipſam contrariis ad naturalem ſtatum reuocabimus. Cuiuſque autem horum qualitatem ex ipſorum temperie, menſuram vero ex conſeruandę ſubſtantię quãtitate cognoſcemus. Sed de cibo,potu, aere, & aliis ſex rebus non naturalibus ſuo loco latius. hęc de cuſtodia virtutis ex ſui ſimilibus hucuſque pertractata ſint.

Quæ nam ſit virtutis præſtantia,& quid primo indicet,quidue coindicet. CAP. X.

TRIA ſunt,ex quibus recte adhibitis curatio ſecundum rationem ſuccedit, omniaque remedia ex his tribus ortum habent. Primum eſt Chyrurgia, ſecundum Pharmacia, tertium Diæta. Nullo autem iſtorum inſtrumentorum recte vti poſſumus,

mus, nisi virtutis prius habita considerati-
Virtus remedia omnia dirigit. one. Virtus enim ea est, quæ omnia reme-
dia dirigit, regulat, & informat, vt merito
dixerit Galenus, Præcipuum scopum esse
eum, qui à virtute sumatur. Iam vero vt à
sanguinis missione incipiamus, nonne vir-
tus valida eam admittit, si debilis sit prohi-
bet? ideo Author ille in 4. de Ratione vi-
ctus in acutis, com. 19. tunc sanguinem in
acutis morbis detrahi iussit, cum & morbus
esset vehemens, & ætas florens, & virium
robur adesset. Sed hic dubitatio quędam
Dubitatio. insurgit, quonam modo vires missionem
sanguinis indicare possint, cum teste Gale-
no primo de Ratione victus in acutis, com.
44. Virtutis custodia solam indicet alimo-
Solutio. niam. Nisi esset, quod morbus tantum suę
affectionis indicat auxilia, phlebotomiam
videlicet, clysma, cataplasma, purgationem
oxymeli, aquá mulsam, & aliorum vnum-
quodque. Virtus vero coindicat, idest auxi-
lia ipsa: verbi gratia sectionem venæ vel ad-
mittit, vel prohibet. Vnde Gal. 13. Met. c. 16.
virtutem inter coindicantia posuit his ver-
Coindicantia quæ sint. bis: Coindicantia igitur voco virtutem, na-
turam, ætatem, anni tempus, regionem, &
consuetudinem, & si qua sunt id genus alia.
Siue autem has coindicationes, siue indica-
tiones vocemus, siue Endixis, siue Antendi-
xis, Galen. vt libitum fuerit, nominare non
vetat.

etat. hoc enim nihil ad Artem facit, cum
tis vtilitas sit auxilia, quibus æger sanatur,
inuenire, non de nominibus contendere, vt
ipse asserit 9. Methodi cap. 7. Virtus igitur,
quam ex omnibus euacuantibus remediis lę-
datur, ideo consideratū necessaria est. Ve-
rum, cum sæpe ex euacuatione virtus nihil
lædatur, hinc sumitur inconsideratis & te-
merariis Medicis occasio, vt eam prętermit-
tant, ceu nusquam quicquam indicet. Fal-
luntur autem, quia non intelligunt alterius
cuiusdam causa virtutem esse spectandam,
nec quicquam ad affectum remouendum
indicare. Ecce quod Galen. 9. Methodi cap.
10. manifeste fatetur, virtutem nihil indica-
re ad affectum submouendum, sed virtutem
alterius cuiusdam causa esse spectandam, id
est, causa vitæ, licet aliquando per accidens
eius robur faciat ad morbi curationem, vt
paulo infra ab eodem habetur 9. Meth. c. 13;
Quoniam vero ea, quæ affectum præter na-
turam discutiunt, omnino vitam non custo-
diunt: immo si aliquis immoderate & in-
tempestiue illis vtatur, vitam adimunt: ob
id sæpius aduersæ indicationes oriuntur,
cum affectus vacuationem notabilem po-
scit; virtus vero non tolerat. Nam aliquan-
do virtus tantum abest, vt ex vacuatione læ-
datur, & maxime si fuerit in corpore ple-
nitudo, quoad vires; vt maximum illi pare-

De nominibus non oportet cōtendere.

Virtus causa vitæ spectāda.

C tur

tur commodum, quod eas premebat ſublato. Cum autẽ morbus plurima eget vacuatione, virtus vero debilis hanc non tolerat, tunc euacuatio nihil prodeſt, immo maximum affert periculum. Cum vero propter corruptionem humorum vacuatio fieri debeat, tunc ipſa vti maxime eſt periculoſum. cum enim purgatio fieri debeat, hanc vero imbecillæ vires ferre non poſſint, ideo quid tunc fieri debet? paulatim oportet, quod vitioſum eſt, vacuare; paulatimque, quod ſalubre eſt, pro eo reponere. hæc autem præcepta nobis Galenus dedit 9. Meth. cap. 10. & cap. 11. Vbi etiam id clare ex ipſius verbis collegimus, non ſolum vires conſiderandas eſſe in miſſione ſanguinis, ſed etiam in purgatione per pharmacum recte adminiſtranda; pharmaca enim purgantia ventriculum, & maxime os eius, quod neruoſum eſt ac ſenſibile, lædunt, affliguntque, vt dicit Gal. 2. de Ratione victus in acutis, com. 11. Itaque timendum eſt, ne aliquando virtutem imbecillem reſoluant. ideo in exhibitione Medicamenti purgantis virtus cõſideranda eſt. Quia, nec immerito, Hippoc. 1. Aphor. 24. dixit: In acutis paſſionibus raro & in principiis Medicinis purgantibus vti, & hoc cum præmeditatione faciendum. Sed quid de Medicamento purgante loquor? cum nec etiam humores acri oxymellite præpa-
fan-

Oxymel virtute debili datum non eſt.

indos censuerit Hippoc. 3. de Ratione victus in acutis, comment. 28. nisi prius vires ægri hominis perpenderimus: quę, si valent, tunc iuuare oxymel, & dari debere iubet. Virtute vero non constante ab eo abstinendum. Adde etiam quod primo de Ratione victus in acutis, com. 45. clysteris seu glandis imponendæ indicationem ex affectu ventris primo accepit, considerata tamen virtute valida aut imbecilli tanquam illa, quæ vel contrario indicet modo, vel interdum prohibeat, vt Galen. in comment. exponit. ideo si virtus valida sit, inquit Hipp. quod clysmate vti possumus: quod si virtus imbecilla fuerit, glande vtendum. quia ex his manifestum est, quod in omnibus vacuationibus maxime virtus præ oculis habenda est, & diligenter consideranda. Reliquum est, vt videamus, quomodo in diæta recte restituenda virtus consideranda sit. Duo enim sunt, quæ rectam cibandi ægros rationem nobis præscribunt, tempora morbi, & virtus. Hos duos scopos in Aphorismis Hippocrat. considerauit, ideo in morbi vigore, tenuissimo victu vtendum esse voluit; post primo Aphorismorum, Aphorismo 9. virtutis curā habuit, sic dicens: Coniectari autem oportet, an æger cum victu sufficiat perdurare, donec Morbus consistat: & nunquid prius ille deficiat, nec possit

Clysmate virtute imbecilla nō est vtendum.

Duo sunt quæ rectam cibandi rationem docent tempora morbi & virtus.

cum victu perdurare. Vis igitur ægrotantis consideranda est. ipsius enim gratia nutrimus, non causa morbi: ideo si virtus robusta fuerit, vt possit perdurare vsque ad morbi statum, tunc tenui victu vti possumus. cum vero imbecillior fuerit, adiiciendum aliquid, & plenior victus adhibendus. quod etiam Galen. 1. de Ratione victus in acutis com. 44. scriptum reliquit, dicens, quod sola virtus indicat alimoniam & victum. Si igitur alimonia morbosam affectionem non offenderet, nos virtuti solum attendentes, ægros vt sanos aleremus: sed quoniam sæpius morbo noxam affert, ideo morbi affectionem, non tanquam cibi indicatricem, sed tanquam prohibitricem cõtemplamur. Ob id etiam in statu morbi, si casu aliquo virtus dissoluatur, nutrire cogimur. Hinc igitur patet, quod virtus prima est, quæ cibum victumque indicat pro sui custodia: morbus vero nequaquam, sed magis coindicat vel prohibens, vel non prohibens.

Sola virtus indicat alimoniam, & victum.

Quomodo autem in quoque affectu ratione habita virtutis cibi offerri debeant, id Galen. primo Aphor. Aph. 17. declarauit. Si enim virtus debilis sit cum corruptione, vel defectu humorum, tunc parum cibi, & sæpius dari debet. parum, quia virtus est debilis; sæpius, quia multis cibis eget dispositio. Si virtus sit debilis, humores autem mode-

Quomodo cibi offerri debeant.

rate

ate se habeant, vel superabundent, tunc arum, & raro dabimus. parum, propter irtutem debilem: raro, propter humorum uperabundantiam. Si vires validæ sint um humorum defectu, vel corruptione, unc plura, & sæpius offeremus. plura, quia irtus poterit plures cibos vincere: & sæpius, quia dispositio indiget. An vero hic casus possibilis sit, vt virtus cum defectu, aut corruptione humorum valida sit; & an sæpius talis dispositio cibis indigeat; cum tamen dicat Hippocrates, Non pura corpora, quanto magis nutries, tanto magis lædes: hic ne prolixitatis vitium incurram, dicere recusabo. Quod si accessio plura offerre prohibeat, tunc raro plura dabimus. Si vero vires validæ fuerint, & corpus plethoricum, tunc pauca raro offeremus. Hæc Galenus: ex quibus iam patet, quod virtutis in diæta, & oblatione ciborum consideratio necessaria est.

Qua ratione vires an validæ, an imbecillæ sint Medicus dignoscere poßit. CAP. XI.

NON sufficit cognoscere virtutem similibus conseruandam esse: verum etiam ipsius robur & imbecillitas Medico ignota esse non debent; vt & tempore opportuno audacter valentioribus remediis vtatur, & ab illis, cum opus nō fuerit, desistat ac supersedeat. simili quoq; rationis modo nunquā

Virtus facit ad prognosticum.

verum prognosticum vel imminentis mortis, vel iam futuræ salutis Medicus afferre poterit, nisi virtutis constantia; vel infirmitate perspecta & cognita. Cum igitur tres in nobis sint virtutes Animalis, Vitalis, & Naturalis; & vnaquæque istarum in suo membro principali resideat, Animalis in cerebro, Vitalis in corde, Naturalis in hepate: omnisq; virtus operationis sit principium, vt inquit Auicenna in prima, i. summa prima doct. 6. cap. 1. Nulla porro alia ratione dispensantium nos facultatum infirmitas & robur indicari poterit, nisi ex propriis functionibus & operationibus. propriæ operationes cerebri sunt, Phantasia, Memoria, Scientia, Reminiscentia, Intellectus, Cognitio; & hæc sunt in cerebro, & per cerebrum. Aliæ sunt à cerebro, & non in cerebro: & hæ sunt Sensus, & Motus voluntarius. Sic & operationum cordis, aliæ sunt in corde, & per cor; vt vigor animi, Constantia, Ira, & huiusmodi. Aliæ sunt à corde, vt pulsus, & caliditas. Operationes vero hepatis sunt propriæ, sanguificatio, nutritio, auctio, vt Galenus scripsit in libello de facultatibus nostrum corpus dispensantibus. Fortem igitur virtutem animalem cognoscemus ex fortibus functionibus arbitrariis in neruis & cerebro, ex sensu bono & motu, ex recta imaginatione, perfecto discursu, & ratione. Ex

Operationes cerebri quæ sint.

Operationes cordis quæ sint.

Operationes hepatis quæ sint.

ope-

operationibus autem pulſatiuis in corde, ex anhelitu laudabili, ex animi conſtantia, & vigore virtutis vitalis. contra vero infirmitas indicabitur. Atà functione, quæ in bona ditur nutritione, aut nutritione abolita, cum colore bono aut malo, ex fæcibus, & vrinis, tertia facultas Naturalis, quæ ab hepate proficiſcitur, nobis ſui agnitionem præſtabit. quod Galenus oſtendit in libro, De curatione per ſanguinis miſſionem cap. 6. Verum enimuero non ſolum ex propriis operationibus virtus dignoſcetur, ſed etiam ex ætate, & conſuetudine, auth. Galen. 11. Meth. cap. 13. qui primo quoque libro de Ratione victus in acutis, comm. 45. ad notitiam virtutis conferre etiam cognitionem ætatis aſſerebat, cum cito in pueris propter copiam effluuii virtus laboret, ideo Hippocrat. aliquando de virtute mentionem faciens illi ætatem etiam adiecit; Vtrum vero Gal. virtutem temperaturã eſſe putarit, necne, dubium eſt. nam primo libro de vſu partium id ſentire videtur: quod & Haly etiam, & Alexander Aphrodiſæus ſummus peripateticus exiſtimarunt; verum opinio Ariſtotelis in hoc fortaſſe magis veritati cõſona fuit, quod virtus ſit ſubſtantia animæ, quæ prout variis vtitur inſtrumẽtis, & varias habet partium temperaturas, varias etiam & diuerſas ex ſe edit operationes. Quænam

Quæstio. *Solutio.*

autem ex ætate, & consuetudine indicationes sumendæ sint, ex Galeno habetur 9. Methodi cap. 16. & cap. 17. Hæc de fontibus, quibus virtus ipsa noscatur dicta sint: nunc de aliis sua serie determinandum.

De rebus non naturalibus: & primo de Aere.

CAPVT XII.

QVONIAM satis de rebus præter naturam, Morbo, causis, ac symptomatibus (vt res tulit) post vero de rebus naturalibus, temperatura videlicet, virtute, spiritibus, operationibus, ætate, & consuetudine, loquuti fuimus; superest iam, vt de sex rebus non naturalibus, aere, cibo & potu, somno & vigilia, motu & quiete, inanitione ac repletione, affectibusq; animi, sermonem habeamus; hæc enim omnia si recte accomodentur, corpus humanum incolume seruant; si male, tunc idem destruunt. cum vero de his omnibus exacte dixerimus, & de chyrurgia, pharmaciaque, tunc tota Medēdi Methodus omnibus numeris absoluta erit. Ab aere igitur oratio ineunda est. Galenus 9. Methodi cap. 14. Medicatorias ab his tribus indicationes sumi voluit: ab affectu præter naturam, à corporis temperamento, & tertio ab ambiente nos aere, sub quo anni tempus, & regio cōprehenditur; ideo

aeris

eris summa cõsideratio & cura habẽda est. Reliquas enim materias tum deligere, tum fugere licet: quam autem ambiens prestat, fugere non licet, immo necesse est præsenti cœli statu vti; idcirco aeri quoque attenti esse cogimur. Hic vero modo rationem habet auxilii, modo causæ ægritudinalis & morbificæ. cum enim morbo aduersatur, tunc auxilii; cum vero morbo consonat, & ipsum fouet, tunc causæ morbificæ rationem habet. Exempli gratia si morbus calidus sit, & siccus, aer vero frigidus & humidus; tunc aer ex numero est auxilii: sin calefaciat & siccet, morbificis causis annumerandus est. Sedulo igitur agendum est, vt ambientem, qualem esse expedit, Medicus præparet. id autem fiet, & domos quæ ex se tales sint eligendo; & arte, vt tales sint, vt morbo aduersentur, præparando. si ergo morbus calidus sit, & aer calidus; tunc talis aer, vt auxilium fiat, ad frigidum permutetur. & primo deligendæ erunt frigidæ domus subterraneæ, & ad Septentrionem versę. quod si tales non sint, arte erunt præparandæ. Domus ergo sit, in qua ex Euripo aliqua aura inspiret, in quam multi fontes aquarum se deiiciant, & aqua frigida de vase in vas transfundatur. hoc enim etiam statim est somniferum. Domus etiam aqua frigida assiduo inspergenda, & flores, & ger-

Aer causa est sine qua non.

Aer aliquãdo auxilij aliquando causa morbificæ rationem habet.

Domus vel eligenda vel præparanda.

mina frigidæ & humidæ facultatis per domum proiici debent; vt rosæ, ruborũ summitates; vitiũ capreoli, & rami lentisci: turba etiam hominum prohiberi debet, ne ingrediatur. nam hoc etiam calefacit. Quod si aer calidus reddi debeat, vt morbo aduersetur, tunc domus calidæ, & ad ventos calidos versæ eligendę: Arte vero parari poterunt igne accenso in cubiculo, suffumigiis, odoribus, & illis omnibus, quæ domum calefaciant. Quod si aliqua vacuatio insignis per phlebotomiam, aut pharmacum purgans fieri debeat, temperatura aeris maxime est respicienda, vt enim monet Galenus primo ad Glauconem cap. 14. omnes quibus Medici nihil omnino de temporum statu cogitantes sanguinem abstulerunt, interiere. ideo cum aer exquisite calidus & siccus fuerit, vt tempore medio inter Canis ortum, & Arcturi; si etiam valde frigidus, tunc sanguinem mittere est formidandum. sic de regione putandum, & anni tempore, vel immodice calidis, vel frigidis: nam in calidis constitutionibus nonnulli non recte euacuati, ex syncope, & dissolutione: in frigidis vero in principio accessionum nimis refrigerati interierunt. sic & de pharmaco existimandum. ideo Hipp. 4. Aphor. Apho. 1. docuit sub Cane & ante Canem difficiles esse medicationes. tunc enim pugna fit, cum medicamen-

amentum ad contrariam ferat partem, videlicet ad interiora, humores ipsos, aer vero ad exteriora; ideo tunc non leue sequitur incommodũ: sic & in hyeme purgatio fortis per pharmacum vitari debet. humores enim in hyeme quieti sunt, & quasi concreti, & viæ per quas virtus medicamẽti transire debet, angustę sunt, & conniuent. ideo Hipp. 6. Apho. Apho. 47. dixit, quod quibuscunque sanguinis missio, aut purgatio conuenit, hos vere purgare, vel venam secare oportet, quod & Hipp. præcepit in lib. de Aere, locis, & Aquis. cap. 6. Id ab Hippo. accepit Auic. in 1. Fen. quarti cap. 1. vbi inter alias regulas hanc posuit, dicens: ex regulis præterea, quas obseruare debes, est fortes dimittere Medicationes in temporibus etiam fortibus, quãto plus poteris: sicut ventrem vehementer soluere, aut prouocare vomitum, aut aperire, & adurere in ęstate, & hyeme. Verum Hipp. 4. Aphor. 4 oppositum statuisse videtur, suadens medicari æstate superiores magis, hyeme vero inferiores. Nihil igitur prohibet, quo minus in æstate & hyeme purgemus. Verum Hipp. de curatione illegitima & cogente intellexit: cogimur enim aliquando ex humorum superabundantia, & prędominio purgare in æstate & in hyeme: Regulariter vero operantes, & tempus idoneum præseruationis gratia eligẽtes, purgationẽ magis in ve-

Obiectio.

Solutio.

re molimur. vel dicamus, quod in principio æstatis & hyemis fieri debet purgatio: in mediis autem temporibus, cum maximi calores sunt, & frigora, tunc ab omni purgatione quiescendum. Temporum quoque anni ratio habenda est. ad prædicendum enim plurimum faciunt in singulis Morbis: & futuras ægritudines prænuntiant; vnde Medicus prouidentia sua corpora præseruabit, & mala aduentura auertet. Quamobrem, si quando contingat, vt aliquis in ęstate, quartana laboret, Medicus eius breuitatē prædicet, propter sermonem illum Hippocratis 2. Aphorismorum 25. Vbi actiuas quartanas breues esse ait, autumnales vero longas, & maxime illas quæ hyemem attingāt. Sic etiam, cum mutationes magnas temporum Medicus videbit, morbos futuros nūtiabit. & cum eadem die modo erit calor, modo frigus, dicet morbos Autumnales esse expectandos. sic & ex Anni temporibus siccitates imbribus salubriores esse sciet; sic & quid hyems vel Aquilonia vel Austrina, vel Ver, vel Autumnus, vel Aestas portendant, prænoscet? quæ omnia ab Hippocrate in tertia Aphorismorum particula discēda sunt: vbi, & qui morbi in quoque tempore expectandi sint, & qui quoque tempore morbi inualescant, & quibus ægritudinibus ætates singulę corripi soleant, breuibus

Temporum anni ratio habenda est.

sen-

sententiis complexus est: quæ quando vnusquisque ex seipso percurrere potest; omnia hic perstringere superuacaneum foret. Regionum vero natura noscenda, & quæ iam ad Orientem, quæ ad Occidentem vergat, quę sit Australis, quæ Septentrionalis, quæ in montibus, quę in vallibus, quæ prope mare, quæ prope stagna, & plaudes sita sit: cum secundum quanque regionem proprii & peculiares morbi excitentur; quæ Hippo. in suo libello de locis, aere, & aquis considerauit. Hæc de Anni temporibus pertractata sint: nunc de cibo & potu dissetendum.

De Cibo, Potu, & reliquis non naturalibus.
CAP. XIII.

QVONIAM aliis præsidiis non omni tempore vtimur, sine alimentis autem ne viuere quidem, neque secunda, neque aduersa valetudine possumus: ideo disputatio de cibis & alimentis in medicina vtilis est, & necessaria. Cibi itaque vel ex parte substantię, vel quantitatis, vel qualitatis, vel ordinis; vel secundum vtendi vsum considerari possunt.

PRIMVM igitur in consideratione substantiæ, ciborum alii crassi succi sunt, alii tenuis, alii medii succi inter crassum & tenuem. Crassi succi qui sint, Galenus in libro *Cibi crassi.*

Succi qui sint De bonitate & vitio ſuccorum recenſet. tales igitur ſunt, Panis ſine fermento, Caſeus, Lac bubulum, Placentæ, Legumina, farina triticea, Bellaria omnia ſine fermẽto, Cochleæ, Oua indurata & fricta in ſartagine: inter piſces Cætacea, Thunni, Oſtrea, Bulbi, Fungi, Tubera, Amylum, Cor, Iecur, Renes, Teſtes, extremæ partes animalium, Cerebrum, Spinalis medulla, caro Porcina, Lens, Fabæ. hæc omnia inter craſſos cibos reponuntur. *Cibi tenues qui sunt.* Cibi vero tenues ſunt, primo vt de carnibus loquar, carnes Auium monticolarum, quæ in ſtagnis & paludibus non degant, verbi gratia vt Paſſerum, Turdorum, Merularum, Perdicum, Columbarum turricolarum, partes extremæ Porcorum; alæ Gallinarum, Turturum, & Perdicum caro; quę laudabilis eſt, ſi modo hæ mortuæ vno die aſſeruentur. aliorum omnium quadrupedum carnes, præterquam Hœdorum, & Vitulorum, vitandæ ſunt. craſſum enim ſuccum generant. In genere vero piſcium ſaxatiles inter attenuantes ſunt cibos, poſt Merula, quæ Venetiis mutato nomine vulgo Meriola dicitur; Scarus, Turdus, & quæ Venetiis vulgo vocantur Orac & Alberi. Panis vero optime coctus in furno cum modico ſale, & fermento tenuis eſt, & optimi ſucci: ſic & Ptiſſana. Inter Olera vero iſta ſunt attenuantia, Allium, Cepa, Naſturtium, Por- *Olera attenuantia.*

rum,

um, Sinapi, Smyrnum, Pyrethrum, Origanum, Calamintha, Sisymbrium, Pulegium, atureia, Thymum, Cappares, Terebynthi uctus, Eruca, Sium, Apium, Petroselinũ, Orminium, Raphanus, Brassica, Beta, Asparagus. Radices vero tenues sunt vt Dauci, & Pastinacæ. Semina vero tenuia sunt ista, semen Apii, Petroselini, Cimini, Carui, Anisi, Lybistici, Ameos, Dauci, Seseleos, Ruthæ, Lini, Canabis: quę omnia Galenus in libro De attenuante victu enumerauit. Cibi autem, qui medio modo se habent, sunt Gallinarum & Gallorum carnes, Phasianorum, Columbarum, Turdorum, Merularum, & Passerculorũ omnium, & piscium Gobiorum, Asellorum, & Mullorum. Qui ergo plurimum se exercent & laborant, crassis cibis vti possunt. qui vero se non exercent, cibis vesci debent, medio modo se habentibus. qui vero iam ægrotant, & ventriculum imbecillem habent, cibis tenuibus, qui coctu faciles sint, & boni succi nutriri debent.

Semina tenuia.

Cibi medio modo se habentes.

Quantitas vero cibi secundum tempora diuersa morborum immutari debet. aliquando enim cibus prohibetur, aliquando minuitur, aliquando æquatur, aliquando augetur. Prohibetur autem cibus in morbis peracutis, qui statim extremos habent labores, primo Aphorismorum 7. Minuitur

Quantitas cibi secundũ varia morborũ tempora mutatur.

tur in ſtatu : tunc enim victu tenuiſſimo v-tendum eſt. In principio autem ſtatus augemus : & quanto magis ad ſtatum ęgritudo procedit, tanto magis cibum ſubtrahimus.

Qualitas vero ciborum aliquando mutanda eſt ſecundum varios vſus: vt, ſi virtus debilis ſit, & debent reſtaurari, tunc dabimus cibos in qualitate & virtute potentes; qui tamen in quantitate pauci erunt, vt ſunt teſtes Gallorum, & oua.

Ordo ciborũ

Ordo vero ciborum talis erit, vt primo loco leuis cibus, & qui facilius concoquitur, aut putreſcere poteſt : deinde vero & qui difficilius ægriuſque coquuntur, aſſumantur: alioqui in ventriculo corrumperentur.

Modus vtendi cibis.

Vtendi vero modus maxime ex conſuetudine cognoſcetur. magna enim pars in morbis ad totius victus medicamentorumque inuentionem ex conſuetudine ſumitur; teſte Gal. 7. Meth. cap. 6. nam, cum alii ſemel, alii bis, alii alia hora edant; aliis aliud ſit cibus, aut olera, aut legumina, aut poma, aut carnes quadrupedũ, aut caſeus, aut lac; ſic cuiuſque conſuetudinis cura habenda eſt in ciborum adminiſtratione. Temporis etiam cura habenda eſt, & quia in nocte quies, & ſomnus, & longius tempus cibum excipiunt; ideo in cœna cibi valentiores exhiben-

sunt: quod & Athletæ faciunt, qui non
lum ratione hoc inuenerunt, sed & lon-
a experientia comprobarunt. Hæc Gale-
us. ex quibus palam est, quod cœna lautior
randio esse debet, cum in somnio melior
at cōcoctio, quā in vigilia, frustraq; in hoc
onnulli digladiantur, & tempus cōterunt.

Cœna prandio lautior esse debet.

Sed & Naturarum inspiciendæ sunt pro-
rietates: ex his enim materiæ, quæ ad victū
ertinet, copia suggeritur. Alii enim sunt,
ui abhorrent caseum, alii vinum, alii sunt,
ui si gustent ptissanam, statim nauseant. id-
irco Auerroes 6. Collectaneorum, cum in-
initas in arte Medica proprietates videret;
ı. perfectionis nota ipsam damnauit; ar-
emq; exercere noluit. Medicus igitur pro-
rietates istas animaduertat; & aliquando,
t ægris gratificetur, cibos gratiores eis offe-
at; vt præceptum fuit Hippocratis 2. Apho-
ismorum Aphorismo 38. quod parum de-
erior cibus, & potus; suauior autem, me-
ioribus sed minus suauibus est præferen-
lus. hos enim amplexatur ventriculus, &
oncoquit; vnde non manet deterior, sed
liquando melior redditur. Quod si mem-
ra aliqua, vt ventriculus, aut hepar, quorū
munus toti corpori commune est inflam-
matione laborent, nutrimenta istis conue-
nientia eligenda; non mordacia, nō dulcia,
non adstringentia. hæc autem tradit Gal. 13.

Cibi suauiores aliquando melioribus præferendi.

Quæ nam apati nutrimenta conueniant.

Potus qui esse poßit. Methodi cap. 14. De potu autem, si dolor adsit capitis, & virtus debilis non fuerit, nõdumque apparentibus signis coctionis, a vino abstinendum. Possumus autem vti alio potu, vel aqua hordei, vel syrupo viol. vel iuleb Ros. aut viol. vel vino mali granati, vel aqua cocta cum saccaro, vel alio potu: quod si vinum postea detur, illud eligatur

Vini aquosi vtilitas. quod aquosum sit, album: & pauciferum quod Oligophoron 3. De ratione victus in acutis tex. 20. vocauit Hippocrat. hoc enim vias aperit digestionis, vrinam ciet, vires organorum auget, boni succi est, & expellendis excrementis viam facit. Hactenus de ci-

De somno & vigilia. bo & potu: de somno vero & vigilia aliisq; omnibus, paucis me expediam; somnus ergo & vigilia modum seruent. vt enim Hippocratis sententia fuit secundo Aphorismorum 3. Somnus & vigilia vtraque si modum excesserint malum: diurnus vero somnus quia maxime caput replet, nisi iam multo tempore in consuetudinem abierit, vitãdus

De motu & quiete. est. De motu vero & quiete; quiescant ægri nec moueantur: nisi aliquando vt meliori aere fruantur, vel in patriam redire, vel do-

De inanitione & repletione. mos permutare velint. De inanitione vero & repletione illud dicendum, vt nullo modo ægri se repleant; nam nimia repletio sanis nocet; secundo Aphorismorum 17. Vbi enim alimentum præter naturam plus inge-

stum

um est, morbum facit & sanos ipsos offen-
it: quanto igitur magis ęgris ipsis nimia ci-
orum copia & ingluuies nocebit? De ina-
itione vero saltem quotidie vel sponte vel
lysteris vsu, ventris inferioris superfluita-
es & excrementa deponant. De Accidenti- *De acciden-*
ius vero animi, studendum est, & omni ar- *tibus animæ.*
e tentandum, vt læti sint, & cum amicis ver-
entur, semperque animi iucunditas ægro
rocuranda est sermonibus, actionibus, spe-
taculis, narrationibus, & singulis huiusmo-
li. His enim sex rebus non naturalibus recte
dhibitis; nullo alio instrumento interue-
iente sanitatem aliquãdo amissam in cor-
ore reuocamus. Sed quoniam Morbus
uandoq; adeo magnus est, & altas egit ra-
lices; vt leuiora hæc præsidia aspernetur; ad
lia duo maiora instrumẽta, ex quibus post-
a tota ars Medica completur; confugien-
lum est: ideo de his duobus instrumentis,
idelicet curandi ratione per sanguinis mis-
ionem, & recta purgatione per pharmacũ
uperest verba facere. primo igitur de ratio-
e curandi per sectionem venæ, post de ea,
quæ fit per pharmacum purgatione ser-
monem habebo. iam igitur à se-
ctione venæ sic au-
spicor.

ALTERA PARS,

DE RECTA CVRANDI ratione per venæ sectionem.

Quid sit phlebotomia, & qui affectus venæ sectione egeant.

CAPVT I.



VM venæ sectio vnum maioribus remediis sit, q Medicus afferre soleat; n confuse, sed distincte de i peragendum. hunc igi ordinem hac in re seruabimus, vt prim quid phlebotomia sit proponatur; secun qui sint affectus, qui venæ sectione egea tertio, quinam homines sint, qui inno sanguinis missionem ferre possint: quar quæ venæ in quoque affectu secandæ si quinto, de scopis & indicationibus loqu ex quibus modus & quantitas mittendi s guinis cognosci possit: sexto, quo temp & quando vena sit secanda. His enim ha tis nihil, quod spectet ad sectionem ve amplius desiderari poterit. Primo ergo q phlebotomia sit, quæramus. Phlebotom vt voluit Galenus secundo Aphorismor com. 17. omniũ æqualiter humorũ ex qu

Phlebotomia quid sit.

tissi

ſima eſt euacuatio. hanc & Auicenna in quarta primi cap.20.definiens,dixit eſſe euacuationem vniuerſalem, quæ multitudinẽ humorũ euacuat,multitudo .n. ſeu plenitudo euacuationi opponitur. Plenitudo autẽ teste Gal.in lib. De plenit. duplex eſt; alia.n. eſt plenitudo quoad vaſa: alia eſt plenitudo quoad vires.plenitudo quoad vaſa ea eſt, cũ sanguis adeo ſuperabundat, vt copia ſua venas extendat,periculũq; immineat,ne venæ diſrumpantur. & hanc plenitudinẽ, vtpote periculoſam, in Athletis ſtatim nos ſoluere iuſſit Hipp.vt corpus rurſus inciperet nutri- ; 1. Aphoriſmorum Aphoriſmo 3. hæc autem plenitudo fit vel ſolum ex ſanguinis puri; vel ex omniũ ſuccorum in ſanguine contentorum redundantia; Plenitudo vero quoad vires illa eſt, in qua, quamuis copia illa non adſit, tamen humores illi; qui ſunt in corpore, virtutem premunt. ideo grauata virtute, cum humores non regat, & illis dominetur; humores illi à natura derelicti bonitatem ſuam amittunt, quam cum amiſerint,fieri nequit, vt non putreſcant.Plenitudinem autem quoad vaſa propria hæc ſigna indicabunt,Rubedo coloris,tumor,vaſorumque diſtenſio. Eam vero quoad vires hæc ſigna ſequentur; grauitas, tenſio, & laſſitudo quædã, quæ vlceris ſenſum habebit: de qua Hippoc.2.Aphoriſmorum Aphor.5.

Plenitudo duplex.

Plenitudo quoad vaſa quæ ſit.

Plenitudo quoad vires quæ ſit.

Signa vtranque plenitudinem indicantia.

inquit, Spontaneæ laſſitudines morbos pręnunciant. vbi ergo in hac duplici plenitudine valentes vires fuerint, & ætas permiſerit, vena incidatur. in his.n. ſanguinis miſſio vtilis erit, tanquam vacuantiũ præſidiorũ vna: verum tamen eſt, quod in plenitudine quoad vires ratio habenda eſt, vt virtus conſtans ſit. ſi enim in tali plenitudine crudus humor & frigidus per corpus collectus ſit, vena tundi non debet. nam cum copia crudorũ humorum virium robur non adeſt, vt Galenus ait in libro De curandi ratione per ſanguinis miſſionem. c. 9. virtute igitur forti ſanguinis detractio molienda. Quibus vero aliis affectibus ſanguinis miſſio cõueniat, ſciendum eſt quod non modo præſentibus, ſed etiam futuris morbis præcauendis venæ ſectio cõuenit. hinc Gal. quibus ſputi ſanguinis, apoplexiæ, epilepſiæ, peripneumoniæ, pleuritidis, anginæ, retentionis hęmorhoidarũ, aut menſtruorum, vertiginis, podagræ, arthritidis periculum imminebat, his omnibus ineunte vere ſanguinem mittebat; quod & Auicẽna docet in quarta primi cap. de Phlebotomia. Nec modo cum corpus plethoricum eſt (vt perperam ſenſit Menodorus) venæ ſectio eſt ex vſu; verum etiam citra plenitudinem, cum propter aliquẽ caſum vel dolorem futura timetur inflãmatio, venęſectio mirifice prodeſt. Pro quo notandum, quod phle-

Quibus affectibus ſanguinis miſsio conueniat.

Phlebotomia duab. de causis adhiberi solet: aliquando, vt euacuatorium; interdum verò, vt reuulsorium remedium; quod vehementiorem humorum impetum ad diuersam partem reuocet, vel ad propinqua deriuet, teste Galeno in libro De curandi ratione per missionem sanguinis. cap. 11. & 9. Methodic. 11. Ideo aliquando, cum fluxum sanguinis è naribus cohibemus, secta vena in brachio sanguinem reuellimus. hac ratione fortasse Gal. 13. Methodi cap. 21. in lethargo statim ab initio, quamuis Morbus frigidus foret, venam incidendam mandauit, vt potius per sanguinis missionē à capite reuelleret, quā vacuaret. Vel id fieri voluit, propterea quod lethargo plenitudo esset adiūcta. Quamobrē Gal. 11. Meth. c. 15. Saluberrimū esse dixit in febrib. venam incidere, non continentibus modo, sed in omnibus, quas putrescens humor accēdit. Quod verū non esset, & maxime in febrib. intermittentibus, vt Tertiana, & Quartana: cum in his sanguis non peccet in venis, sed alius humor à sanguine extra venas putrescat, qui per venæ sectionem euacuari non potest. Nisi intelligamus Galenum suadere in febribus intermittentibus, quibus plenitudo & abundantia humorū iuncta sit, sanguinem aperta vena euacuandū. obstructio enim, vt ipse 11. Methodi cap. 4. declarauit, in febribus putridis

Phlebotomia duabus de causis fieri solet.

In febribus intermittentibus, quādo vena sit secanda.

aliquando fit ex humorum abundantia, aliquando ex ipſorum lentore & craſſitie. Magis igitur ratione abundantię, quam humoris extra venas putreſcentis in febribus intermittentibus venam ſecari iuſſit. & quod hoc ita ſit, id ex verbis, quæ ibi Gal. ſubiunxit, manifeſte apparet. dicit enim, quod propter miſſionem ſanguinis leuata, quę noſtrū corpus regit, natura, exonerataq; eo, quo velut ſarcina premebatur, haud ægre, quod reliquum eſt, vincet: quod ſignū ęſt talibus febribus multitudinem & plethoram iunctam fuiſſe. Porro & in venæ ſectione non ſolum aliquando morbū ipſum, ſed & cauſam reſpicere debemus: ideo quamuis quādoq; Morbus frigidus ſit, cum tamen cauſa miſſionem ſanguinis indicet; vena ſine aliqua noxa ſecari poterit, quod & Hipp. ipſe obſeruauit, & nos his verbis docuit, vt eſt legere apud Galenum in libro De conuulſione, palpitatione, & rigore cap. 5. Eſtimargei

In venæ ſectione nō modo morbus, ſed & cauſa morbi aliquando ſpectanda.

" Ancillæ cui neque ſanguis fluxerat poſtquā
" filium peperiſſet, os autem vuluæ auerſum
" erat, ac dolor in coxam, & crus pertingebat;
" ex talo ſanguis detractus profuit, etſi tremo-
" res totum corpus occuparēt, ſed ad cauſam
" veniendum & cauſæ occaſionem. Mulieris (inquit Gal.) Hipp. meminit, quæ quod à partu celeri illa ſecundarū puerperii purgatione vacuata nō eſſet, deinde tremor illi obortus eſt.

Curatio mulieris per miſſionem ſanguinis ex talo.

t.hæc dicit Hip. sanaui sanguine ex talo de-
acto, etsi tremores adessent, quasi dicat,
uod alius illi sanguinem non misisset. tre-
ior enim frigidus affectus esse creditur,
nguis vero est calidus in affectu: igitur qui
id:get calefieri, nequaquã videbatur san-
uis subtrahendus. ipse tamen Hipp. ausus
uit, & rationem docet, Sed ad causam ve-
iendum, & causæ occasionẽ. Nouit enim
ausam tremoris esse sanguinis copiam re-
enti, qui Naturę pondus erat; occasionem
ero causę, vuluæ affectum: deinde copia
acuationem indicante; parte affecta locũ
er quem euacuare cõueniebat; ambo hæc
oniungens sanguinis detractionem ex ta-
o molitus est; Hanc, quia sanguinem vacu-
re volebat; ex talo autem, quia vterus affli-
ebatur. Sanguine igitur abundante in ve-
is vena secanda est. Quod autem vtero af-
ecto venam tali diuidere conueniat, id ex
enarũ comunione, quę ex Anatome scitur
cognoscimus. alia. n. alii parti corporis vena
communicat, oportetq; vacuationes sem-
per ex communibus moliri: nam, si venas,
quæ affectæ parti nihil communicant, inci-
derimus, nihil affectæ parti medebimur, &
sanam semper lædemus: communitas vero
venarũ quanti fieri debeat hinc nobis ma-
nifestum fiet, quod reuulsio tunc recte &
cito accidit, cum venarum cõmunitas & so-

cietas seruatur. Ex his igitur iam patet, quinam illi affectus sint, qui sanguinis missione viribus & ætate consentientibus curandi sint. Sed hic aliqua de reuulsione, & deriuatione interserere non erit inutile.

De Reuulsione, & Deriuatione, quæ fit per sectionem venæ.

CAPVT II.

LOcvs hic monere videtur, vt de Reuulsione & deriuatione nonnulla dicamus. Quid igitur Reuulsio sit, omnes consentiunt ipsam fluentium humorum in diuersam partem esse reuocationem. In hac vero reuocatione quatuor conditiones spectandæ sunt, quas Auicenna tradidit, in quarta primi cap. primo.

Reuulsio quid sit.

Quatuor cōditiones in Reuulsione spectandæ sunt.

Prima est, vt diuersitatem partis seruemus, semperque ad contrariam partem trahamus, à dextra ad sinistram, & è contrario: ab inferioribus ad superiora: ab ante, retro, & contra. Hanc diuersitatem prodesse Hip. experientia comprobauit. quinto enim Aphorismorum Aphorismo 68. scripsit, quod dolentem partem capitis posteriorem vena in fronte incisa iuuat; quod auersionis gratia fecit Hipp. vt notat Galenus in commēto. Auersio enim ad contraria fit secundum longitudinem, supra & infra: secundum latitu-

Auersio quot modis fiat.

tudinem, à dextris & ſiniſtris; ſecundum latitudinem, ante & retro.

Secunda Conditio eſt, vt ſocietatis communitatiſque venæ curam habeamus: ideo in ſuperfluo fluxu menſtruorum cucurbitula ad mammas appoſita reuellimus: quod & quinto Aphoriſmorum Aphor. 50. teſtatur Hipp. ſumma enim eſt communitas inter venas mammarum & vteri.

Tertia Conditio eſt, vt fibrarum rectitudinis cura habeatur, & hæc maxime eſt conſideranda. Videmus enim, quod ſi hæc ſeruetur; plurima ſtatim ſequitur vtilitas.

Quarta conditio eſt vt longa ſeruetur diſtantia. Sed duæ potiſſimum conditiones ſeruandæ ſunt, altera eſt communitas venarum, altera fibrarum rectitudo; propter quam Hipp. venam internam eiuſdem lateris, non autem oppoſiti, ſecari iuſſit. quod & Gal. in libro De curatione per ſanguinis miſſionem cap. 16. confirmauit, quicquid Auicenna voluerit in tertia primi. Hinc illi maxime redarguendi ſunt, qui in pleuritide dextri lateris venam ſecant ſiniſtri lateris. Tres autem auertendi ſeu diuertendi Modi ſunt: vt docuit Galen. in libro Artis Medicæ cap. 95. Vnus eſt per Repellentia, ſecundus per Reuellentia quę in oppoſitum attrahunt; tertius per tranſmiſſionem materiæ de membro ad membrum.

Auerſionis tres ſunt modi.

Auersio respectu reuulsionis est vt genus.

brum. Diuersio autem respectu reuulsionis loco generis se habet. Si igitur quandoque vehemens aliqua sit inflammatio, & subitus ac præceps humorum fluxus irruat, tunc eiusdem lateris è directo vena ampla aperienda est. vena ampla, quia quanto per maiora fit vasa euacuatio; tanto est expeditior, vt habetur primo Artis Medicę cap. 95. Vena autem è directo eiusdem lateris secetur: hoc enim Galeni consilium fuit 13, Meth. c. 11. si fluxus lentus fuerit vel propter pręseruationem vena sit diuidenda; distantior vena pro arbitrio Medici eligi poterit.

Quæstio.

Illud vero in controuersiam verti posset, quod cum hepar venarum omnium fons sit & principium, & sectio venæ sanguinem euacuet, nunquam euacuationis seu reuulsionis gratia sanguis euacuari deberet, nisi secta vena dextri cubiti, quæ maxime ex fōte, videlicet à iecore euacuat ac reuellit: quod & authoritate Hippo. confirmatur, qui, vt omnia vere, sic & istud protulit, Totum corpus nostrum conspirabile, & confluxibile, & vt græce dicitur συμπνοῦν καὶ σύῤῥουν omnesq; partes animalis inter se compatibiles esse, & mutuo affici. Quod cum ita sit, rectitudo nequaquam seruanda videtur in reuulsionibus: ex quacunque enim parte corporis vena secabitur propter corporis totius cum partibus consensum, eadem se-

per

er sequetur vtilitas. Nisi esset, quod Natura sagax septo transuerso interposito partes dextras à sinistris diremit; ne altera parte læsa, altera quoque repente læderetur. hac ratione fit, vt magis dextra cum dextris, quā cum sinistris: sinistra vero magis cum sinistris, quam dextris conspirent, confluant ac compatiantur. ideo recte Hipp. præcepit sanguinis Reuulsionem secundum Rectitudinem, quod κατ' ἴξιν vocauit, fieri debere. si enim in directe oppositis sanguinis eruptionibus venam secemus, citissime conspicuam videmus vtilitatem. at si contra secemus, nihil prodest. Quod & in sanguinis eruptionibus, quæ à Natura fiunt, videmus. si enim turgente liene, Naturæ vi ex dextra nare sanguis erumpat; vel in iecore ex nare sinistra, nulla sane sequitur vtilitas: quod si sanguinis eruptio in directum fiat, vt liene laborante ex sinistra nare; iecore laborante ex dextra sanguis erumpat; tunc euidens vtilitas celeriter sequitur: contra vero si fiat, nihil prodest, aut etiam interdum nocet, quod vires citra morbi leuamen deiiciat, authoritate Galeni in libro De Curatione per sanguinis missionem c.15. Quare & nos etiam Naturam recte operantem, & ea, quæ sponte accidunt & prosunt, imitantes, si ex dextra nare sanguis fluat, sanguineā apposita cucurbitula ad dextrum hypochōdrium reuei-

uellemus: ad ſiniſtrum vero, ſi ex ſiniſtra erumpat. Rectitudo igitur in reuulſione per venæ ſectionem ſemper ſeruanda, pluriſque rectitudo fieri debet, quam partis diuerſitas; immo nec partes contrariæ inuicem, & diuerſæ iudicandæ ſunt, niſi ſecundum rectitudinem vna alteri opponatur. Quod ſi Galenus 13. Methodi cap. 5. Situm partis laborantis reſpicere non videatur, nec rectitudinem, cum manu laborante, crura; altero crurum male habente, reliquam ſcarificet; dico, quod Galenus rectitudinem ſeruauit. communis enim & directa venarum eſt ſocietas, per quã crus ſiniſtrum inciſum à dextro ſanguinem euocat. ambo enim à vena caua ſanguinem recipiunt. Duo autẽ præcepta nobis tradidit Auicenna in quarta primi cap. primo. quæ in Reuulſione negligi non debent. nam cum reuellere volumus, ſi in membro à quo reuellimus, adſit dolor, prius dolorem ſedare debemus: poſt vero reuellere, aliter enim, cũ dolor maxime attrahat, & nos ad alteram partem trahamus; pugna fieret, & agitatio materiæ, & hac ratione corpus ſummopere lęderetur. Secundum præceptum eſt, vt, cum reuellimus, ſupra membrum principale tranſitus non fiat. Quod ſi in hoc quiſpiam hæſitet, cum Hipp. in dolore capitis ex parte poſteriori, venam ſecat in parte anteriori; nonne tunc

Obiectio.

Solutio.

Quæſtio.

nunc supra membrum principale, quod est cerebrum, transitum facit? sed transitũ fieri per venam membri principalis, nõ per eius substantiam (modo in ipso fluxus tanquam in termino non quiescat, & sistatur) nihil prohibet. hinc fit, vt in pleuritide dextri lateris sectio venæ in dextro brachio fieri debeat: alioquin, cum in medio lateris dextri & sinistri cor sedem habeat, supra membrum principale, videlicet cordis substantiã, trãsitus fieret. & de Reuulsione hactenus. Deriuatio vero humoris in vicinam partem est attractio. hæc autem post Reuulsionẽ fieri debet. in principio n. iam fluente materia sanguinis detractio è longinquo, postea vero ab ipsa parte affecta, cum iã ad ipsa fluxa est materiã, & in ipsa fixa; vacuatio fieri debet, vel ab ipsa particula laborãte, vel à maxime vicina, & hæc est deriuatio. A laborante vero particula, cum ipsa ignobilis est, dupliciter fit deriuatio; vel manifeste ac sensibiliter, vt per scarificationem, aut adhibitis cucurbitulis; vel fit immanifeste per euaporationem. quod monet Galenus in libro Artis Medicæ ca. 95. Quæ vero proprie deriuationis nomen sortitur, ea est, quæ fit ad vicina: quapropter in fluxu sanguinis ex ore, deriuamus ad propinqua, cum prouocamus, vt sanguis è naribus fluat : Sic & deriuamus in fluxu hæmorrhoidarum in Mulieribus, cum

Resp.

Deriuatio quid sit.

Deriuatio dupliciter fit

cum menſtrua prouocamus: ſic & inflammatione exiſtente in ore, ad nares deriuamus: ſic & in Angina, cùm iam venas in manibus inciderimus, poſtea deriuationem facimus ad propinqua, venas, quæ ſub lingua ſunt, diuidentes. ſic & inteſtinis laborantibus aluum deiicere non debemus: ſed deriuare ad propinqua oportet; vel prouocando vrinam, vel ſudorem. ſic & Renibus laborantibus vrina prouocanda non eſt, ſed ad propinqua deriuari poterit, videlicet ad inteſtina, ſi Aluum deiiciamus. Verum id dubitationem parit, quomodo Renes per ſeceſſum expurgari poſſint, cum nulla pateat ſenſibilis via, quæ à Renibus illuc feratur. At in oppoſitũ eſt Galen. qui 7. Methodi cap. 13. dixit, Renes, & veſicam ac iecinoris gibba, ſi multo vitioſo ſucco referta ſint, per deiectiones expurgari. Vbi enim Aluus humidior fit, & plura deiicit, vrina paucior excernitur; iccirco Hipp. quarto Aphoriſmorum Aphoriſmo vltimo dixit: Mictio noctu plurima facta paruam ſignificat deiectionem. Sic igitur Reuulſio, & Deriuatio recte adminiſtrabitur. Nunc quinam homines ſint, qui innoxie ferant miſſionem ſanguinis, quod tertium in ordine propoſitum fuit, videamus.

Inteſtinis laborãtibus aluum deiĳcere nõ debemus.

Dubitatio.

Solutio.

Qui

Qui sint homines phlebotomiæ idonei.

CAPVT III.

QVINAM homines missionem sanguinis innoxie ferant Medicus cognoscat, oportet. Propterea primo laborantis temperaturam considerabit, si enim frigida sit, missionem sanguinis dimittet, nisi fortasse, quamuis ęger temperaturę esset melancholicæ, plenitudine tamen grauaretur: vel Mencholia illa plurimum sanguini immixta esset. Secundum vero, ad quod Medicus mentem conuertere debet est, vt humores peccantes vel redundantes in corpore consideret. hac de causa in prægnante interdum plurimus sit sanguis, & Matris & infantis nutritioni sufficiens; virtusq; sit valida, stante morbi magnitudine sanguinem detrahere possumus. Variam igitur humorum naturam Medicus coniiciet pro cuius varietate aliquando sanguinem mittet, aliquando sectionem venæ maxime refugiet. quod quarto De sanitate tuenda Galenus his verbis declarauit; dicens; Nam quando alii succi priusquam ad exactum sanguinem nutrimentum perueniat, veluti semicocti sunt, alii prorsus incocti crudique, alii paulo absunt à sanguinis forma; rursus alii sanguificationis velut vltima pars: qui vtiq, excessu caloris proueniunt, quorum alii paululum,

Primo temperatura cōsideranda.

2. Humores peccantes.

In Prægnante quādo sanguinem detrahere possimus.

alij plus, alij plurimum à sanguine recesserunt: vbi paululum vel citra sanguinem restitũ, vel vltra processum est, audacter sanguinem mittere possumus: vbi plus, consideratius agendum; vbi plurimum, omnino abstinendũ. Inspicere etiam oportet quantitatem sanguinis, vt verbi gratia si sanguis bonus paucus sit, reliqui vero succi plurimi à sectione venę abstinendum: si alius succus à sanguine exiguus sit, sanguis vero copiosus: audacter mittendus est sanguis. His seruatis&aliis dicendis Medicus optime diiudicabit, quo nam humore peccante sanguis eximi possit. Ideo si humores biliosi plurimi sint in corpore sanguini non permixti: vel plurimi humores pituitosi & crudi, sanguis vero paucus; nullo pacto sanguis mittendus erit; quod & Auicenna prohibens in quarta primi cap.20.dixit. Quod si sanguis alicui⁹ fuerit bonus,&paucus,& fuerint in ipsius corpore multi humores, si fiat phlebotomia, bonum rapiet, & malum relinquet. Proinde paulo infra magnopere à Medico cauendum esse subiunxit, ne male administrata phlebotomia ad alterum duorum æger perueniret, vel ad nimium biliosorum feruorẽ, vel ad frigidorum humorum nimiam cruditatem sanguine extracto, reliquis vero aliis humoribus vitiosis in corpore relictis. quamuis enim sectio venę æqualiter

Inspicienda est sanguinis quantitas.

et humores omnes euacuet; quoniã tam
nguis exiguus in venis erat, ideo extracta
iqua eius portione, cum aliis humoribus
inor eius copia remanet in venis, plurima
ero aliorum humorũ: cum hi non ita prom
te per sectionem venæ, sicut sanguis, vacu-
atur. quia sanguine, qui eorum quasi frenũ
rat, effuso, bilis præter modũ efferuescit;
ituita vero incrudescit. Male igitur quidã
uicennam in hoc erroris insimulant; cum
agis laudandus, quam qualibet leui ratio
e reprehendendus sit. Tertium adhuc Me-
icus animaduertere debet, habitum videli
et totius corporis, an æger nimis gracilis sit,
n pinguis. ab vtrisq; enim his cauere debe-
nus sanguinem auferre: idque præcipue in
rassis. vt plurimum enim hi exiles venas ha
ent, & pauci sanguinis; Quapropter Hipp.
. Aphorismorũ Aphorismo 44. citius cras-
os, quam graciles mori putauit. Quarto lo-
o ætatis summa ratio habenda est; ideo nec
alde senibus, nec pueris vsq; ad annum de-
imum quartum vena secanda est. pueri e-
um carnem habent facile transpirabilem,
orumque substantia facillime digeritur, &
lissipatur, cum omnium ætatũ sit humidis-
ima, ideo vacuantis præsidii non eget, &
maxime quod fiat per sectionem venæ: cum
ex se ipsa habeat vnde naturaliter vacuetur.
Verum tamen est, quod id, quod maxime,

Aliqui male Auicennam erroris insimulant.

Tertio habitus corporis.

Quarto ætas

venæ ſectionem indicat, eſt virtus, vnde Author ille, in quarto De ratione victus in acutis, text. 19. Tres ſcopos euacuandi ſanguini aſſignauit, Magnitudinem morbi, ætatem & robur virium. At ætas, dummodo virtus adſit, aliquādo negligitur. ob id Galenus in libro De curandi ratione per ſanguinis miſſionem cap. 13. pueris ſanguineis; & ſenibus ſeptuagenariis, ſi magnitudo morbi adſit, & virium robur, ac pulſus vehementes, venam ſecari iubet. nulla ætatis habita ratione quod, & Auicenna in quarta primi cap. 20 à Galen. accepit. inquit enim, quod cauere debemus detractionem ſanguinis in puero minori quatuordecim annis, & in ætate ſenum, niſi ſperauerimus in figura, in ſoliditate muſculorum, & venarum amplitudine, & earum repletione, & coloris rubedine. Principes ergo mittendi ſanguinis ſcopi hi tres erunt, magnitudo morbi præſens aut imminens; ætas florens, & virium robur, ex ſententia Galeni in libro De curandi ratione per ſanguinis miſſionem cap. 9. Quinto loco non ſolum virtus fortis conſideranda erit, ſed & tempus anni, ſtatus cœli, & regio in frigidiori enim regione, aut calidiori ſanguis mittēdus non erit. tali enim in tempore, & regione, vt plurimum, virtus non conſtat, & imbecillis eſt. Sexto, & ante acta vita, & conſuetudo attendi debet, & quibus

Tres ſunt ſcopi mittendi ſanguinis.

5. Virtus cum aliis.

6. Conſuetudo.

cibi:

ois vſus fuerit, & an aliquæ naturales ex-
:tiones retentæ ſint. Poſtremo cauendum 7. Os ſtoma-
,ne illis, qui os ſtomachi nimis vitiatum, chi.
ſenſibile habent, ſanguinem mittamus.
:ile enim hi homines in ſyncopē cadunt.
de Galenus 12. Method. cap. 5. illis, qui
ncope ex cruditate humorum labora-
nt, nec mittere ſanguinem audebat, nec
rgatione vti. & hoc fuit Galeni conſilium
documentum in libro De curandi ratio-
: per ſanguinis miſſionem cap. 1. & Aui-
nnæ in quarta primi cap. 20. Sic itaque o-
nes, qui innoxie ſanguinis miſſionem fe-
nt Medicus noſcet: quo cognito operæ-
etium eſt ſcire, quænam venæ in quoque
fectu veniant ſecandæ.

Quæ venæ in quoque affectu ſint ſecandæ.

CAPVT IV.

QVONIAM ſecundum Hipp. dogmata multũ intereſt hanc an illã venam ſece-
us: non. n. omnes omnib. æque affectibus,
incidantur, prodeſſe ſolent; ſed aliæ cele-
errime proſunt, aliæ aut nihil, aut ſpatio
mporis: ideo quotnam venæ ſint in vſu, vt
ıcidantur, & quæ in quoque affectu ſecari
ebeant dicere aggredior.

Venarũ aliæ ſunt ſuperiores, aliæ inferio-
es; venæ ſuperiores, quæ in cubito ſunt, & Venæ ſuperio-
õmuniter incidi ſolent, tres ſunt: Exterior, res tres ſunt.

& hæc alio nomine vocatur Cephalica : & hæc oritur, non à venis iugularibus (vt quidam falſo putant) ſed à ramo venę cauæ. Secunda vena, interior vel interna dicitur, & hæc alio nomine Baſilica, ſeu Axillaris vocatur. Tertia eſt vena media; quæ alio nomine Communis appellari ſolet. hæc ex vena cephalica & baſilica ſimul ad flexuram brachii in vnum coeuntibus enaſcitur. Supra autem brachium è directo venæ cephalicæ alia vena ſuperfertur, quæ funis brachii ab Auicen. dicitur.

Inter pollicem etiã ac indicem adeſt vena, quam quidã, quia ſecta oculis proſit, ocularium: alii Guidonis ſaluatellam nuncupant. Inter digitum auricularem & annularẽ adeſt & vena, quam ſpleneticã nominant: & huiuſmodi vena eſt ſaluatella Raſis: & hæc vena ex quodam ramo venæ cõmunis & axillaris ortum habet. à quibuſdam etiam vena iſta in affectibus lienis tundi conſueuit; Verum Galenus in libro De Curandi ratione per ſanguinis miſſionem cap. 14. & cap. 16. illos deridet; & talium paruarum venarum ſectionem parui facit, dicens, Nam ex venis, quæ ad magnos oculorum angulos conſpiciuntur, aut ſub lingua, quod certe mentione dignum ſit, effluere non ſolet; ſicut nec ſiquis ſumma in manu aut pede venã ſecet, quemadmodũ putãt, qui lienẽ curari aiunt

Gale. paruarum venarũ ſectionẽ parui facit.

à venæ

à venæ ad ſecundũ paruũ digitum ſitæ ſectione. & ibidẽ cap. 16. ad principiũ inquit, nõ æque prodeſſe ſectionẽ venę circa annularẽ digitũ ſiniſtræ manus affecto liene; ac ſi internã cubiti venam ſecuerimus. Adeſt & vena inter annularẽ & medium digitũ; cui nemo (quod ſciam) adhuc nomẽ reperit. Quoniam vero in communi vſu eſt, vt tres illæ maiores venæ incidantur, Cephalica, Baſilica, & Cõmunis: videamus quib. nam partib. laborantibus; quæ vena incidenda ſit: & inciſa iuuet. Igitur vena interna, ſeu Baſilica, in his affectibus, in quibus inferiores colli partes patiuntur, inciſa vtilis eſt; vbi ergo iecur, pectus, pulmo aut cor afficiuntur, baſilica vena ſecanda eſt. Exterior vero, ſeu cephalica vena in iis, quib. quæ his ſuperiores ſunt partes patiuntur, vt facies, aut caput, incidi debet. Cũ vero neutra iſtarũ venarũ apparuerit, ad cõmunẽ, & mediã venã accedendũ eſt. tunc tamẽ conari debemus, vt mediã eam quæ à propria diducitur incidamus. Aliquando his trib. venis non apparentib. eas quæ in vlna exiſtunt, videlicet funẽ brachii aut alias minores, quæ in manu ſunt, ſecare cogimur. Illud tamẽ in his omnib. venis ſecandis perpetuo ſeruandũ eſt, vt eã, quę è directo eſt, ſecemus: tunc enim clariſſima vtilitas ſequitur: quod Galenus in libro De Curandi ratione, per ſanguinis miſſionem c. 16.

Quibus partibus laborãtibus quæ vena incidenda ſit.

docuit his verbis: Quia, & pleuriticis, quæ è directo laborãtis lateris adhibita fuit sanguis missio, clarissimam sæpe vtilitatem attulit: quæ vero ex brachio opposito, aut omnino obscuram, aut certe post temporis interuallum. Quod & 13. Methodi cap. 11. rursus definiuit; sic scribens; Quod si aliquando partes, quæ infra Thoracem sunt, vt Renes, vesica, pudendum, & vterus, male habeant, tunc inferiores venæ, quæ in cruribus sitæ sunt secãdæ veniunt. Renibus igitur laborantibus, quod magis inferiores, quam superiores venæ abscindi debeãt, ambigendum non est. Tres autem in inferioribus partibus sunt venæ. ramus enim venæ cauæ descendens ad Talos, in exteriori parte coxæ venam quandam efficit, quę Ischiadica vena vocatur; & hæc raro secatur. Secũda vena est in interna parte cruris, & hæc dicitur vena Poplitis: quæ temporibus nostris vel ob incõmoditatem, vel quia male apparet, nec facile incidi potest, ideo in vsu non est, vt secetur. Tertia vero vena est in interiori parte malleoli, & huic Saphenæ nomẽ inditum est: quæ partib. ante propositis laborantibus, & præcipue vtero male affecto, vel menstruis suppressis, dissecta valde prodest, & cessantẽ fluxũ iterum ciet, & cõcitat. Sed hîc in dubium reuocari solet, vtrum existẽte corporis plenitudine, menstruisq; suppressis

Renibus laborantibus inferiores venæ secandæ sunt.

Vena poplitis incidi non solet.

Dubitatio.

sis

ſis prius vena aliqua ex ſuperioribus in brachio ſecanda ſit, an ſtatim ad ſectionem venæ pedis debeamus accedere? Quibuſdam enim videtur, quod primo quoque tempore vena pedis diuidi poſſit. hęc enim vena maxime habet menſtrua prouocare: ſectæ vero in cubito venę magis purgationes mẽſtruas comprimunt, cum ſanguinem, qui ad vterum fluere deberet, ad ſuperiores corporis partes retrahant, ac reuellant: quam menſes promoueant, quod fatetur Galenus in libro De Curandi ratione per ſanguinis miſſionem cap. 11. & cap. 18. Præterea cum in principio ad longinquiora fieri debeat euacuatio; quamprimum vena Tali ſecanda videretur. Verum hæc opinio Galeno maxime aduerſatur; quippe qui in decimo libro de compoſitione medicamentorum ſecundum locos cap. 2. in Curatione Iſchiadicę paſſionis dixit, plurimum totius corporis vacuationem valere, ideoque ab ipſa incipiendum eſſe, non ſolum à cruribus, ſed & à cubito primum ſanguinis detractione facta. quod & Auicenna in 22. tertii tractatu 2. c. De cura Sciaticæ, à Galeno aſſumpſit, dicens quod in illis, quę ſunt ſanguineæ, ex magis conferentibus illis eſt phlebotomia in primis ex manu, deindè ex pede; & non fiat phlebotomia ex pede, niſi poſt phlebotomiam ex manu. idem & vo-

Rationes eorum, qui ante Saphenæ ſectionẽ ſuperiores venas incidere nolunt.

Confutatio.

luit Auicenna in decima ſexta tertii tracta-
tu quarto cap. De cura Colicæ apoſtemoſæ:
vbi iuſſit prius ex Baſilica, poſt ex Saphena
phlebotomiam fieri. quod & Galenus in li-
bro Artis Medicæ capi. 95. conſcripſit, ſua-
dens id, ſi plethoricum nimis corpus fuerit,
per partem affectam vacuatio non fiat. nã ſi
ſcarificationibus, aut ſectionibus ſenſibili-
ter euacuaremus, plus ratione excitati do-
loris attraherem⁹. Corpore igitur pleno exi-
ſtente prius aliqua ex ſuperioribus venis ſe-
canda erit; poſt vero ad ſaphenæ ſectionem
accedemus. Nec ſolum hæc fuit Galeni, ſed
& antiquiſſimi Raſis ſententia: qui prius ba-
ſilicam, poſt venã pedis ſecandam eſſe lon-
ga experientia comprobauit. quapropter
ingenti plenitudine corporis exiſtente, ſecta
primum vena pedis, periculum non paruũ
impenderet; ne ob immoderatam plenitu-
dinem confertim impetu magno in vterũ
irruentem, menſium fluxus magis cohibe-
retur, quã vllo modo allici poſſet aut pro-
uocari. Nec in principio ad longinqua tra-
here debemus, & præcipue materia ipſa
quieſcente, quę ſuperioribus venis ſectis
commodius & ſine periculo vacuatur. Et
quoniam hoc in via Galeni perſpicuum eſt,
& vix dignum dubitatione: ideo hæc pau-
cula, quæ ad medẽdi Methodũ ſpectare viſa
ſunt, breuiter attingere volui. Nunc ad ali-
arum

Solutio Rationum.

arũ venarũ ſectionem redeo, quæ quoniam nõ ita, vt iã enarratæ, in vſu ſunt, vt ſecentur, ideo de his ſicut & de arteriarum ſectione non loquar. hæc enim ardua eſt, nec caret periculo, vt pauci noſtro tempore hoc opus exercere audeant. Hæc de venis: nunc qui ſint ſcopi ſanguinis mittendi quantitatem indicantes, inuenire tentandum eſt.

Quæ nam ſint indicationes, ex quibus mittendi ſanguinis quantitas cognoſcatur.

CAP. V.

NIHIL ęque artem Medicam in agendo coniecturalem efficit, vt cuiuſque remedii quantitas. hæc enim cognitio omnium difficillima eſt. Verum tamen eſt, ꝙ quamuis extrahendi ſanguinis quantitas coniecturalis ſit: magis tamen ſecura eſt, cũ in poteſtate noſtra ſit ſanguinem ſiſtere; quam ſit purgantis Medicamenti quantitas: teſte Galen. 2. De Ratione victus in acutis comm. 11. & in libro De curandi ratione per miſſionem ſanguinis cap. 12. quod enim medicamenti aſſumptum fuerit, quo minus aſſumptum fuerit fieri nequit. neque in noſtra poteſtate ſitum eſt, vt eius portionem aliquam, vbi ſemel in ventre fuerit, auferamus; vel ſi neceſſe ſit addamus : hoc vero licet in ſanguinis miſſione, ideo minus periculum imminet ex ſanguinis miſſione,

Quantitas ſanguinis extrahendi magis eſt ſecura quã ſit quãtitas medicamenti purgantis.

quam

quam ex medicamenti purgantis exhibitione.

Quantitas sanguinis mittendi ex quibus nam cognoscatur.

Quantitas itaque mittendi sanguinis ex virtute primo cognoscetur, & maxime ex pulsu. ideo Medicus, dum mittitur sanguis, pulsum manu tangere debet; & ad permutationem pulsus permittere, vt sanguis exeat, & maxime si magna aliqua vacuatio, vel vsque ad animi defectum fieri contingat, ne aliquando Medico inopinante pro Animi deliquio Mors occupet. ideo nisi magna necessitas incumbat, satius erit à tam copiosa vacuatione abstinere ex consilio Gale. in libro De curandi ratione per sanguinis missionem cap. 12. Quod si aliquando vires imbecilliores sint, & affectus missionem sanguinis desideret, tunc missionem sanguinis partiri expedit; & bis aut ter secare venam, parumque sanguinis quaque vice detrahere. Secundum, quod Medicus debet animaduertere, est, vt mutationẽ coloris in sanguine inspiciat; & hanc coloris mutationem in sanguine expectadã iudicauit Hippo. in pleuritide 2. De ratione victus in acutis, com. 10. Si enim dolor in pleuritide ad brachium, vel mammam ascendat, internam venam secandam iussit, & eousque sanguinem esse auferẽdum, donec rubrior flauiorque multo fluat, aut pro puro rubroque liuidus. vtrunque enim contingit. alius enim

Quando missionem sanguinis partiri expedit.

Mutatio coloris in sanguine inspicienda.

enim eſt, qui in phlegmone eſt ſanguis ab eo, qui ſecundum naturam, vtpote plus excalefactus. ſi itaque ſanguis naturalis antea in corpore crudior erat, rubrior multo & flauior efficitur, qui eſt in phlegmone loco affecto. quod ſi rubrior prius erat, liuidus & niger per aduſtionem euadet. ideo ſanguinis mutatio in ſectione venæ conſideranda: quod ſi virtus prius deficiat, eius mutatio in colore expectanda non eſt.

Tertio Redundantia & plenitudo ſi adſit in corpore, nobis quantitatem ſanguinis mittendi indicabit. ſecundum enim modũ redundantiæ, modus vacuationis ſanguinis eſſe debet. Adde & his omnibus laborantis temperaturam, habitum corporis, ætatem, conſuetudinem, tempus anni, & regionem. Proinde, quod ad temperaturam attinet, in pueris propter temperaturam calidam & humidam; cum ſanguinis multum digeratur & abſumatur, minus ſanguinis detrahimus, quam plenitudo commonet.

Sic & ratione habitus corporis, candidis, laxis, mollibusque; ratione vero ętatis ſanguinem pueris non detrahimus: At ratione conſuetudinis, vt ſi quiſpiam in ante acta vita plurimus cibis vſus fuerit, iſtis plurimus ſanguis detrahendus. Ratione vero tẽporis anni nimis calidi, vt ſub Cane, quia multum ſubſtantiæ noſtræ tunc temporis

per

per halitum dissipatur,& consumitur:in regione vero& tempore Anni frigidiore propter insequentem refrigerationem largam euacuationẽ sanguinis fugiemus. Hæc autem omnia alio quodam interueniente videlicet virtute, sanguinis detrahendi quantitatem indicant.

Illud vero memoriæ mandandum est, quod quotiescunque in febribus putridis sanguinem mittimus, semper aliquid sanguinis reponamus ad curationis spatium, quo minus aliquando intempestiue nutrire cogamur. Putredo enim & obstructio missione sanguinis non aufertur; sed putredinẽ virtus naturalis fortis superare solet,ideo ad eius custodiam aliquid sanguinis semper relinquendum:quod consuluit Galenus 11. Methodi cap.14. Sic itaque mittendi sanguinis quantitatem Medicus deprehendet; Quo vero tempore vena secanda sit decernendum restat.

Galeni consilium.

Quando,& quo tempore vena secanda sit.
CAPVT VI.

QVAMVIS in tempore anni calidiore, aut frigidiore, sanguinem mittendum non esse dictum sit:adhuc tamen exacte magis,quo morbi tempore, & qua die vena secanda sit,pertractandum videtur.

Auicenna in quarta primi cap. 20 .dixit, quod

quod ſecurius vtemur ſectione venæ propter præſeruationem morbo nondum pręſente, quam iam pręſente: ideo in principio Morbi penitus phlebotomiam dimittendã pręcepit. ſi enim in principio fiat, humores attenuat, & eos per corpus fluere facit, & ſano ſanguini eos admiſcet, & nihil euacuatur ex eo, quod oportet, & facit, vt neceſſaria ſint medicamenta, quæ dolorem leniant. ideo, cum iam concoctio apparuerit, & ægritudo principium aut ſtatum præterierit, tunc ſanguinem detrahendum eſſe. Hæc Auicenna, quæ ſane falſa ſunt, nec Hippocratis, & Galeni placitis cõſentanea. Hippocrates enim 2. Aphoriſmorum Aphoriſ. 29. ſcripſit morbis inchoantibus ſi quid videretur mouendum, moueri debere: conſiſtentibus vero illis & vigentibus, melius eſſe quietem adhibere. Galenns vero in comm. inquit in principio conuenire ſectionem venæ, nonnunquam vero purgationem: quorum neutrum oportet morbo iam conſiſtente adhibere. Cuius Hippocra. in ſequente Aphoriſmo rationẽ reddidit; Circa enim initia & fines omnia imbecilliora: circa vigores vero fortiora. amplius cur nam oportet expectare concoctionem in miſſione ſanguinis, cũ ſanguis ex ſui natura ſemper ſit concoctus, & aperta vena facile exeat, ac nulla vi educatur?

Auicen. rationes, quib. probat in principio morbi phlebotomiam eſſe dimittendam.

Auicen. opi. falſa.

Argumenta contra Auic.

catur? Quin etiam, quomodo phlebotomia bonum rapiet, & malum relinquet, cũ semper Natura bonum humorem & sibi familiarem conseruet; alios vero vitiosos & inutiles extrudat, atque reiiciat?

Pręterea dum ait phlebotomiã humores attenuare, sibi repugnat Auicenna, cum in quarta primi cap. 4. censuerit phlebotomiã magis humores ipsos crassos reddere, quam tenues; sanguine & spiritibus ipsis, qui humores attenuant, per sectionem venæ euacuatis. Id insuper admiratione dignum videtur, quod cum iam status pertransierit, & æger omne iam vitæ discrimen euaserit; velit miserum ægrum sectione venæ cruciare.

Euasio. Quod si quis venia dignum Auicennam arbitretur; vtpote qui senserit post statum cum Natura Crisim tentauerit; hæc vero diminuta, & imperfecta sequuta fuerit, venæ

Confutatio. sectionem procurandam. Sed neque hoc Auicennam defendit; quare enim vult materiam illam ex imperfecta crisi relictã missionem sanguinis euacuare; virtute tunc tẽporis ob diuturnam pugnam cum morbo, imbecilliori? & maxime cum residuum illius materiæ prompte & facile medicamentorum viribus succumbat; & per purgantia pharmaca quotidie euacuari cõsueuerit? In peracutis itaque, & periculosis morbis nemo non videt Auicennam aberrare & decipi.

pi. in acutis enim primo die ſecare venam aut medicari oportet. tardare enim in his malum eſt; authoritate Hippoc.4. Aphoriſmorum Aphoriſ.10. Quod ſi de morbis ſalubribus Auicenna loquatur; in his fortaſſe ſanguis nec in principio, nec vllo alio tempore detrahendus erit. ſanguis enim tunc mittitur, cum adeſt morbi magnitudo. Id vero, quod nonnulli dicunt, riſu excipiendum eſt: putant enim in Morbis ipſis non periculoſis; vt in tertiana Auicennam monere in principio non mittere ſanguinem; quia Natura nouitate Morbi territa eſt: atque iſti Naturam ex numero facultatũ cognoſcentium faciunt. Adde, quod ſi Natura in morbis periculoſis deterretur; quanto magis in exitialibus, & periculoſis terreri debet, in quibus tamen ad ſanguinis miſſionem primo quoque tempore properamus? Hæc igitur erroris plena ſunt, & dimittẽda; ac pro conſtanti habendũ in principio morborum venam ſecandam eſſe. ideo morbo iam præſente venam incidere monet Galenus, qui in libro De curandi ratione per ſanguinis miſſionem cap. 9. & cap. 12. inquit, Vbi adeſt ferueſcentis ſanguinis plenitudo, acutiſſimam accendens febrẽ, ſubito ac ſemel euacuare, eamque inanire tentandum, vel vſque ad animi deliquium, virium modo inſpecto robore. quod & primo Apho-

Opinio quorundam riſu excipiẽda.

Concluſio vera.

rismorum Aphorismo 23. agendum consuluit.

Qua vero die sanguis mittendus sit, pro comperto habendum est, nullam diem determinatã esse mittendi sanguinis. hinc occasione accepta Galenus eos deridet in libro De curandi ratione per sanguinis missionẽ cap. 12. qui à secunda diei hora ad quintam aut sextã solummodo sanguinem mittebant, haud alio quouis tempore: Galenus vero quocunque tempore, immo per noctẽ sanguinẽ mitti posse sine periculo testatur. Vnde nono Methodi cap. 5. optimum factu esse ait (id quod ipse semper in re quaque fecit) vt non numero dierum, sed vni virium robori attenti simus. quippe quod si seruatum sit, nõ solũ sexto septimoue, sed etiam sequentibus diebus sanguis est mittendus. Verum, quoniam vt ipse in libro De curandi ratione per sanguinis missionem cap. 20. testatur, exoluitur temporis tractu in plærisque morbis virtus; idcirco & mittendi sanguinis occasio dierum numero deperditur; nõ tanquam primario id dies efficiant, ac non re aliqua intercedẽte, nempe virium dissolutione. Itaque, siquando vel secundo à principio die vires exolui videãtur, à vena secanda abstinebimus: hæc Galen. Hora vero electa mittemdi sanguinis matutina hora est, post digestionis complementum, & expul-

Qua die sanguis mittendus sit.

Dies indicãt sanguinis missionem re aliqua intercedente nempe viriũ dissolutione.

expulſionem ſuperfluitatum, vt voluit Auicenna in quarta primi cap. 20. hora etiam magis quieta eligenda eſt.

Vtrum vero coniunctio, & oppoſitio Solis & Lunæ in ſectione venæ ſpectanda ſit? in morbis leuibus ſpectari poteſt. ſi vero acuti Morbi & vehementes vrgent, aſtrologica obſeruatio non eſt curanda. hæ enim cauſæ cœleſtes remotiſſimæ ſunt, nec Hippo. iſtas conſiderauit: verum quarto Aphoriſ. Aph. 10. primo die in acutis oportet medicari; & Gal. in lib. De curandi ratione per ſanguinis miſſionem cap. 12. dixit in quibus ſanguinis feruentis copia apparet, priuſquam in principem aliquam partem ingruat, quam ocyſſime vacuare oportet. Quomodo vero ſectio venæ fieri debeat; ſciendum eſt, quod aliquando ſanguine craſſo exiſtente foramẽ latius fieri debet, & p̃cipue in hyeme: ęſtate vero ſubtilius foramẽ fieri poterit ſanguine ipſo tunc fluido & tenui exiſtente; Phlebotomus etiam, ne dolorem inferat, oleo aut alio ſimili liquore perungi poterit. Sectio autem aliquo modo in obliquum tendere debet. Poſt Phlebotomiã vero ægri ſomnum vitẽt, ne dum dormiũt vena aperiatur. Hęc cognitu neceſſaria erant, vt iam de purgatione, quæ per Pharmacum fit, loqui tentemus: hinc orationis noſtrę ſumpto exordio.

An in miſſione ſanguinis Aſtrologica obſeruatio ſpectãda ſit.

Quomodo venæ ſectio fieri debeat.



PARS TERTIA,

DE RECTA PVRGANDI ratione per Pharmacum.

Quid sit Purgatio. CAP. I.



CVM de Purgatione sermonem habituri simus, id quod superius de Sectione venæ tractãtes fecimus, nunc quoque seruandum duximus; vt primo, quid Purgatio sit, inquiramus.

Purgatio quid sit.

Purgatio igitur teste Galen. 1. Aphorismor. com̃. 2. & 2. Aphio. com̃. 7 est humorũ, q̃ sua qualitate molestant, euacuatio. Auicenna verò in quarta primi cap. 3. dixit, quod euacuatio humoris, qui solus in quantitate augetur, aut corrumpitur, propria est à minutione alia. Quasi voluerit purgationem esse propriã alicuius humoris, vel in quantitate aucti, vel corrupti, euacuationem. Sed improprie Auicen. loquutus est. quomodocũque enim alij humores à sanguine in quantitate augeantur, non in quantitate, sed in praua qualitate, vt recte putauit Galenus 4. Aphorismorum comm. 2. peccare dicuntur.

Auic. improprie loquutus est.

Proprie

Proprie enim ſanguis in quantitate excedit, ideo tunc venam ſecamus, quæ omnes humores æqualiter euacuat, & in hoc purgatio à phlebotomia differt. Purgatio enim non omnes humores æqualiter, ſed proprium humorẽ euacuat. ideo purgatio, ſi ſecundum genus accipiatur, bene quoddam vnũ auxilium exiſtit. ſi vero ſecundum ſpeciem ſumatur, vnum quoddam auxilium eſſe nõ poteſt, cum aliis alij humores vacuari debeant, vt habetur ex Galeno 6. Aphoriſmo. comm. 47. Purgatio alia vniuerſalis, alia particularis. vniuerſalis eſt, quæ à toto corpore; particularis, quæ ex determinata parte humores educit. Quid igitur ſit purgatio, & quomodo differat à venæ ſectione, & quot modis ſumatur, manifeſtum eſt. Nunc quibus morbis, & humorum vitiis ipſa debeatur, quærendum eſt.

Purgatio in quo differat à phlebotomia.

Purgatio quot modis ſumitur.

Quibus morbis & humorum vitiis purgatio conueniat, & de ordine ſectionis venæ, & purgationis.

CAPVT II.

NON ſolum præſentibus morbis purgationes conferre ſolent: verum etiam imminẽtes morbos aliquando purgatione adhibita anteuertimus, ac propulſamus. Idcirco Galenus eos, qui ex humorum corruptela morbis capi ſolebant, Purgatione per

Purgatio nõ modo præsẽtibus, ſed et imminentibus morbis confert.

pharmacum, vel potione data, à Podagra, ab Articulorum doloribus, à Melancholia, Apoplexia, & Comitiali morbo præſeruabat. porro horum nonnullis humores pituitoſos, nonnullis amaram bilem, nonnullis atram, nõnullis aquoſa excrementa expurgabat; ſecundum naturam earum, quæ ſuperuenire conſueuerant, paſſionum. Ideo quendam, qui Melancholia quotannis capi ſolebat, Galenus purgato humore Melancholico Vere & Autumno; ſicut fœminam, quæ aliquando cancrum in mammilla paſſa fuerat, ſingulis annis in vere euacuãs medicamento atram bilem purgante; præſeruauit & ad ſanitatẽ perduxit: vt eſt legere in libello, Quos & quando purgare oportet: & in ſexto Aphoriſmorum comm. 47.

Purgatio quando conueniat.

Cum igitur alii humores à ſanguine praua qualitate affecti morborum cauſæ fiunt, ſi ad benignum permutari non poſſunt, ita vt vtiles fiant, & alendo corpori idonei; non ſectione venæ, ſed pharmaco purgante educendi ſunt. cum autem quiſque morbus ex proprio humore peccante ortum habeat, in vnaquaque ægritudine ſuus humor purgandus erit. igitur Lepra, Cancer, Elephantiaſis, nigros humores ſubduci poſtulant. Comitialis autem attonitique, qui ægrius ſpiritum ducunt, vt Aſthmatici, pituitoſos. Articulares vero dolores, ſi mul-

multo cum dolore infeſtent, flauam bilem: ſi cum tumoribus frigidis fuerint, pituitam extrahi volunt. His itaque morbis pręſenti bus, & futuris purgatio conuenit. Illud autem Auicennæ præceptum, quod habetur in quarta primi c.14. nequaquam contemnendum eſt: quod, quamuis aliquando purgatio neceſſaria ſit, tamen, cum aliquid prohibeat eam, vt ætas puerilis, aut mulier pręgnans, tunc ſommo & inedia curanda eſt euacuatio. quod verum eſt, cum in corpore tali cruditates plurimæ, & pituitoſi humores congeſti ſint: non humores bilioſi: hi enim ex inedia acriores reddũtur. ob id monebat Hippo. pichrocolis inediam nocere: inedia autem (quoniam non per ſeipſam euacuat) ex accidẽti vacuare dicitur, naturali enim modo per trãſpirationem in inedia fit euacuatio nullo alimento accedente in eius locum, quod vacuatũ fuit. quapropter tunc euacuatio manifeſte deprehẽditur, quæ antea latuerat, vt placuit Gal. in 2. Aph. com. 17.

Auicennæ præceptum non contemnendum.

Porro locus hic quęrere videtur, vt de ordine ſectionis venæ & pharmaci aliqua in mediũ adducamus. ſi enim cõtingat, (quod & ſæpius euenire ſolet) vt quiſpiã, & ſectione venæ & purgatione indigeat; dubitari poteſt, an à ſectione venæ primũ an vero à purgatione incipiendum ſit. Galen. decimo De compoſitione medicamẽtorum ſecundum

Quæſtio de ordine ſectionis venæ & purgationis.

locos cap. 2. si corpus ex æquo humoribus redundet, venæ sectionem primo assumi, post vero purgationẽ sequi voluit. quod & Auice. in quarta primi cap. 4. asserit. & hoc inquit fuisse præceptũ Hippo. in libro Epidemiorum, & hanc esse veritatẽ, vt si sectio venæ & purgatio necessaria fuerit, quæ per pharmacum vehemens fieri debeat, à sectione venæ inchoandum sit. Quod si aliqua cruditas sit in venis mæseraicis, vel fæces in intestinis obduratæ fuerint, non negauerit Auicenna, quin possimus medicinis Benedictis, & leuioribus, vt Manna, Cassia, vel Clysteribus, illas educere: modo euacuatio per pharmacum violente trahens non fiat. & hoc etiam Galenus nono Methodi cap. 5. obseruauit; qui, si præcesserit ciborum cruditas, tanto tempore venæ sectionem distulit; quantum sufficere tum ad eorum concoctionem, tum vt excrementa descenderent, videretur. Nam si pleno ventriculo cruditatibus existente, vel venis mæseraicis, venæ sectio cruditatum coctionem, vel excrementorum expulsionem præcederet, tunc ne vacuum daretur, cruditates illæ in venas traherentur: & sic venæ malis humoribus replerentur. Vera igitur sit hęc conclusio, ꝙ pharmacũ leniens, & Clyster potest & debet in legitima curatione sectionẽ venę pręcedere. pharmacũ aũt electiue trahens, & cũ violentia,

Clysteres & Medicinæ benedictæ sectionem venæ præcedere possunt.

Ratio cur pleno ventriculo cruditatibus sectio venæ non cõueniat.

tia, illi ſemper poſtponendum eſt. Quod vero Auicenna ibidem addit, veritati & Galeno maxime repugnat. dicit enim frigidis humoribus, & craſſis in corpore exiſtentibus à purgatione primo eſſe incipiendum, poſt vero venam ſecandã. in hoc enim multipliciter errat. Primo, quia humoribus pituitoſis craſſis, & frigidis cũ ſanguine mixtis, voluit primo ſectionem venæ ante purgationem moliri; cum & in hoc caſu pari ratione à purgatione per pharmacum curatio principium ſumere debuiſſet. Secundo, in hoc à Galeno defecit; qui 11. Methodi, cap. quarto: quamuis in corpore adeſſet obſtructio ex craſſis & glutinoſis humoribus, tamẽ primo à ſectione venæ curationem auſpicari voluit. Quod ſi Auicenna intelligat pituiſis humoribus ſanguinem copia ſua & multitudine vincentibus; primo Purgatione tũc eſſe vtendum; tunc & valde hallucinatur, cum caſum proponat, in quo venæ ſectio non conueniret; niſi cum plurimis illis frigidis humoribus ſanguinis aliqualis eſſet exceſſus; quid raro accidit; & vt accidat vix poſſibile forſan videtur. Sed Auicenna rationem affert, quæ eſt, quod ſanguine extracto humores illi crudiores euadent, & ſic præmiſſa venæ ſectione ad frigidiorum cruditatem ægrum perducemus. At hæc ratio nulla eſt. non enim ratione obſtructionis,

Auicennæ error maximus: & multiplex.

Ratio prima contra Auicennam.

Secunda.

Auic. ratio nulla eſt.

quæ fit à craſſis & frigidis humoribus; ſed ratione ſuperabundantiæ ſanguinis; vena ſecta ſanguinem detrahimus: nam obſtructio aliis poſtea remediis curatur. ideo obſtructione copiæ ſanguinis iuncta, non plurimum ſanguinis extrahendum, ſed aliquid ipſius ad curationis ſpatium reponendum; vt nos commonefecit Gale. 11. Methodi ca. 24. Taliſque eſt ordo inter ſectionem venæ & purgationem. Sed qualia nam in genere medicamenta purgantia eſſe debeant, iam in medium afferamus.

Qualia in genere medicamenta purgantia eſſe debeant.

CAP. III.

Medicamentum ſanguinem à principio euocãs reperitur.

CVM Medicamenta alia bilem flauam, alia pituitã, alia atram bilem educant; nam medicamentum, quod ſanguinem à principio euocet etiam reperitur; ſed hoc magis venenum eſt, quã medicamentum; ideo nomine caret: & quamuis dicebat Galenus in libro de purgantium medicamentorum facultate cap. quarto; Ego ſcirem, quibus nominibus hæc medicamenta nuncupentur, tamen literis commendare nolim; his enim medicamentis nemo ſane prudẽs Medicus vteretur: quia hoc eſſet iugulare hominem, non purgare. Ibique caſum quẽdam, qui apud Thraces euenit, Galen. recẽſet,

ſet, quẽ hic narrare breuitatis cauſa prætermitto, & ad qualitatem medicamentorum explicandam redeo. Qualia igitur medicamenta eſſe debeant, cum hæc aut mitia ſint, aut mediocria, aut vehementia; qualibus horum vtendum ſit; Medicus ex humoribus, qui purgandi ſunt, & ex loco, in quibus hi continẽtur, cognoſcet. Humor enim Melancholicus, cum valde contumax ſit, difficillimeq; medicamentis cedat; validis medicamentis, quibus foras eliciatur, indiget; Superfluitates vero, quę in inteſtinis reſident, mitioribus medicamentis vacuantur; poſt materiæ illæ, quæ ſunt in venis ſequuntur: quæ vt dicit Auicenna in quarta 1.ca.3. faciliores ſunt ad euacuandũ, quã ſint materiæ, quæ in membris, & iuncturis impactæ morentur. his enim Auicenna, materias, quæ in venis ſunt comparat; non ſuperfluitatibus, quæ in naribus, palato, auribus, aut inteſtinis cõtineantur. cui n. dubiũ, ꝙ hæ facilius vacuãtur, quã illæ, quæ ſunt in venis? Ideo, quæ in venis ſunt, mediocri medicamento euocari poterunt: quæ vero in membris ſunt, & iuncturis hærent, non niſi vehemẽtioribus pharmacis extirpari poterunt. Nimium enim abſunt, vt ęgre virtus pharmaci ad ſuperfluitates eas expurgãdas pueniat; & quia (vt inquit Auicenna) Neceſſarium eſt, vt cum euacuabuntur, aliæ cũ eis

Ex quibus locis difficilius materiæ educantur.

egre-

Quare lepra & Morbus Gallicus vix vnquam recte curentur.

egrediantur. Hac ratione fit, vt lepra, Anasarca, & Morbus Gallicus, cum iam altas in solidis membris radices egerint, vix vnquã recte curẽtur; ob id Galenus in libro, Quos & quando purgare oportet, monebat, noxio humore in vniuersum corpus redundãte, omnes euacuationum species admouendas: nulla alia de causa (vt arbitror) nisi ob magnam illorum vitiosorum succorum inuacuatione difficultatem. Pari quoque ratione & Podagra, ac Arthritis vix vnquam sanantur, cũ in ipsis materiæ iuncturis hæreant, ac impactæ sint, vt non nisi valentioribus pharmacis diuelli, & extrahi possint. Quæ vero sint mitiora, quæ mediocria, quæ valentiora medicamenta, orationis consequẽtia adductus exponere aggredior. Quoniam vero alia istorum bilem flauam, alia pituitam, alia melancholiam educunt: & medicamenta alia simplicia sunt, alia composita: ideo quæ, & quot sint, quæ vnumquenque humorem excutiant; quæ, & quot simplicia reperiãtur, explicabo: ea vero, quę substantia aduersa sunt, omittam: hæc enim omnia per experientiam inuenta sunt; & quotidie noua aliqua medicamenta, quæ tota substantia agant, in vsum prodire possunt; ideo Galenus 13. Methodi cap. 6 de his sermonem habere noluit in libris Methodi Medendi, cum nulla horum sit Methodus,

dus, sed experientia tantũ inuenta sint. De his igitur Medicamentis, quæ nostro tempore in communi vsu sunt, breuibus agam.

Quæ, & quot medicamenta in vsu sint, quæ vnumquenque humorem educant.

CAP. IIII.

MITIORA medicamenta, quæ flauam bilem educunt inter simplicia hæc habentur, Cassia fistularis, Manna, Rhabarbarũ, Thamaryndi, Myrobalani Citrini, Succus Rosarum. quod vero inter Simplicia valentius flauam bilem expurgans, est Scammonea, quæ tamen nunquam exhiberi debet, nisi prius corrigatur. Modum autem, quo ipsa corrigatur; Mesue docuit. Scammonea enim decocta in Cyronio corrigitur: & Mastiche adiecta vis eius reprimitur. Composita vero Medicamenta, quæ bilem flauam educunt, & in numero Mediocrium habentur; sunt Diaprunis simplex, & Diacatholicon. Composita vero vehementiora sunt, electua. de Succo Ros. Diaprunis Sol. electu. de Psylio, electua. Ros. Mesue. Quæ vero pituitã purgant; Simplicia sunt, & familiaria, Agaricus, Turbith. quæ vero mediocria sũt, est hiera simplex Galeni. hæc enim præstantissimum est Medicamentum; vt huius vsu multos Galenus per literas curaue-

Flauam bilẽ quæ medicamenta educant.

Pituitã quæ medicamenta purgent.

Hiera simplex Galeni

medicamentum est præstantissimũ.

rauerit ex Iberia, Celtica, Asia, Thracia, aliisque Regionibus literis acceptis, vt ipse quarto De locis affectis cap 2. scriptum reliquit. hiera enim maxime tunicas ventriculi à pituitoso humore expurgat. Diaphinicon quoque in hoc ordine reponitur. valentiora sunt Electuarium Indum, & Benedicta.

Atram bilẽ quæ purgẽt.

Quæ vero atram bilem educunt, simplicia hæc sunt; Cassia, Sena, Polypodium, Epythimus. Composita hæc esse dicuntur, Diasene, Diacatholicon, Confectio hamech. Hiera etiam, quę elleborum recipit, cuius Galenus in libro Quos & quando purgare oportet, meminit; medicamentum est mirifice atram bilem expurgans. Hæc igitur de Medicamentis purgantibus per cõpendium statuta sint: nunc de quantitate istorum disseramus.

Quænam sit medicamentorum quantitas definienda, & qui homines purgandi sint.

CAPVT V.

QVONIAM medicamentorum quantitas coniecturalis est, hinc fit, vt valde periculosum sit purgantibus medicamentis vti; nisi prius eorum quantitatem nouerimus: in qua si forte errauerimus, non parum ægrum ipsum lædemus, cum talis medicamentorum exhibitio corrigi postea non possit. quod enim semel in ventrem deuoratum

tatum est, quominus deuoratũ sit, fieri nequit. Medicus igitur diligentia omni & studio in id debet incumbere, vt exhibendorũ remediorum quantitatem cognoscat. Itaque ad quænam mentis aciẽ dirigens in aliquam ipsorum coniecturalẽ notitiam perueniat, considerandum est. Primo igitur Medicus in hoc studere debet, vt naturam ęgrotantis, & indiuidualem cuiusque proprietatem agnoscat. Alii namque difficulter purgari solent, alii modica quauis potione adhibita copiose vacuantur. Verum, quoniam natura ęgri difficulter cognoscitur, ob id maxime coniecturalis efficitur euacuationis in hoc auxilio quantitas. Medicus itaque, cum aliquem purgare voluerit, interrogare debet, an ex medicina quauis assumpta copiose euacuari soleat, an tantũ ex validioribus pharmacis vẽter eius soluatur.

Notitia quãtitatis medicamẽtorum ex quibus habeatur.

Natura ægrotantis.

Secundum postea, quod Medicus considerare debet, est, vt habitum corporis respiciat. si enim ægri molles habeant carnes, & delicati sint, ac in otio degant; hi prompte euacuantur, & leuioribus medicamentis purgari possunt: vel vehementibus, in parua tamen dosi exhibitis. Quod si bene carnosi sint, duri, ac robusti, vt Piscatores sunt, & Agricolę; hi validioribus medicamentis, vel leuioribus quantitate auctis per inferiora euacuari possunt; ex sententia Hippocratis

Habitus corporis.

cratis quarto Aphorismorum Aphorismo 7. Quin etiam Medicus partes ad vmbilicũ & imum ventrem attinentes manibus pertractabit, quæ si crassitudinem habeant, cũ robustę sint, bene purgationibus seruire poterunt. quod si partes illæ tenuiores sint, ad inferiores purgationes periculosum, vt Hippocr. docuit 2. Aphorismorum Aphorismo 35.

Consuetudo. Tertio Medicus Consuetudinem animaduertere debet, & tunc consuetos purgari validioribus medicamentis euacuabit: hi nanque pharmacis assueti difficulter illorum vi soluuntur. quæ enim assueta sunt, insuetis minus molestãt. ideo Hippo. 2. Aphorismorum Aphorismo 50. ad insueta permutationem fieri debere præcepit. Vnde & medicinas interdum Medicus permutabit. ab assuetis enim non fit passio. Auth. etiam Auicen. in quarta primi, cap. primo.

Virtus. Quarto Medicus in purgatione virtutis curam habere debet. ideo si virtus valida fuerit, validis etiam vtetur medicamentis: sin debilis, ab huiusmodi medicinis abstinebit. virtus enim imbecillis ex purgationibus dissoluitur. Sic & ætas consideranda est. Puerorum enim natura & ætas leuioribus tantum pharmacis eget, non fortioribus; sic & Mulieri prægnanti non nisi benigniora medicamenta offerri debent.

Quin-

Quinto loco Tempus anni, Regionem, & ſtatũ cœli inſpicere oportet. Si enim hæc calidiora ſint, purgationes prohibent: idcirco Hippocr. quarto Aphoriſmorum Aphoriſmo quinto, dixit, Sub Cane, & ante Canem, difficiles eſſe medicationes. Tunc enim natura debilis eſt, &, ſi fieret purgatio, diſſolueretur; vel pugna maxima fieret in cõtrarias partes pharmaco, & aere humores trahentibus. Sic nec frigidioribus temporibus purgationes bene eueniunt, cum viæ tunc non pateant; & humores ad euacationem parati non ſint. difficilis itaque ſuccederet purgatio. *Tempus anni &c.*

Vltimo humorum peccantium natura ſpectãda eſt. Craſſiores enim humores Medicinas potentes, & in maiori doſi poſtulãt, cum mirũ in modum purgationi reſiſtant. contra vero humores Tenues quibuslibet pharmacis eiicientur. His cognitis facile Medicus coniectura aliqua artificiali Purgantium Medicamentorum quantitatem doſimque in ſingulis morbis definitam aſſequetur. *Humores peccantes.*

Nec præterea illius Medicus immemor eſſe debet, quod Hippo. 2. Aphoriſmorum Aphoriſmo 37. literarum monumentis mãdauit; quod corpora ſana difficulter ferunt medicationes: ideo corpora ſana purgare medicus non tentabit. nam & Vertigines, & *Sana corpora purgari non debent.*

Tormina patiuntur, ægreq; in his purgatio ſuccedit, & cum hoc etiam celeriter exoluũtur. Cauſa autem horum omnium Medicina eſt, quæ, cum ſibi proprium humorem educere cupiat, nec ipſum reperiat, ſanguinem & carnes colliquat, vt ex eis, quod ſuum eſt, eliciat: quam cauſam reddidit Gale. 2. Aphoriſmorum Aphoriſmo 37. & in libro Quos, & quando purgare oportet, in principio. Sed, cum duplex ſit quantitas, Medicus non modo continuam, ſed diſcretam etiam medicamentorum quantitatem ſcire debet; videlicet an ſemel totam purgationem facere opus ſit, an vero ipſã ſæpius partiri expediat. Si igitur virium robur aderit, & materia plurima, paulatim eam oportet vacuare. Quod ſi vires imbecillæ fuerint, & humores vitioſi plurimi, tunc affectus vel ſpatio temporis, vel ægre ſanatur. tunc igitur paulatim, quod vitioſum eſt, vacuari debet, & paulatim inuicẽ, quod ſalubre eſt, pro eo reponi. Quod præceptum tradidit Galen. 9. Methodi ca. 10. Verum id dubitatione dignum videtur; & quæri poteſt; quo uſque Medicus euacuando procedere debeat, & an totus malus humor penitus expurgandus ſit. Auicenna enim in quarta primi cap. 5. dixit, quod minus nocumentum erat dimittere aliquid materiæ, quod neceſſe erat educere, q̃ exquiſitiſſime euacuare.

Medicus nõ modo continuam, ſed & diſcretã medicamentorum quantitatem ſcire debet.

Quæſtio. Quouſque Medicus euacuando procedere debet

Nam

Nam multoties Natura quod residuum relictum fuit, ex se ipsa nullo pharmaco intercedente vincit, & resoluit. quod & Hippoc. testatur primo Aphorismorum Aphorismo 3. Vbi extremas euacuationes periculosas esse affirmauit. Verum ex altera parte idem Hippocr. 2. Aphorismorum Aphorismo 12. dixit, quod ea, quæ in morbis relinquuntur recidiuas facere consueuerunt; ideo primo Aphorismorum Aphorismo 23. Voluit deiectiones non esse multitudine æstimandas, sed si talia deiiciantur, qualia conueniunt, & ægri leuiter ferunt, tunc & vsque ad animi defectum euacuationes progredi posse. Quid ergo in hac controuersia statuendum est?

Solutio.

Hæc sane lis, & apparens dissensio non alia ratione dirimenda videtur; nisi natura humorum perspecta ac virtutis. Si enim virtus valida sit, & humores adeo corrupti, vt ad benignum naturæ ope redire nequeant, tunc vnica euacuatione humores isti depellendi, vt nihil eorum reliquum in corpore supersit. Nec casus iste impossibilis est. potest enim Morbus esse magnus & plurima materia in corpore corrupta; virtute tamen in robore suo permanente; authoritate Galeni in tertio libro De Crisibus cap. 10. Quod si Naturæ beneficio humores illi bo-

Morbus potest esse magnus virtute valida.

nitatem aliquam, & ornatum recipere possunt, alterari ac concoqui cum semiputrescentes sint, & semimali; tunc humores illi exquisite vacuari nō debent: immo, si facultatem naturalē, quæ concoquit, excitemus firmemusque, quę putrescentia sunt, quamuis purgante medicamento non educamus, sanabimus, vt sensit Galenus 11. Methodi c. 9. Illud tamen magis semper eligendum est, vt, quamuis humores ita vitiosi sint, vt ad aliquem naturæ ornatum redire nequeant, totum tamē medicamento repente non detrahamus. magnum enim ex hoc sequeretur incommodum. Plurimum enim & repēte (vt habetur ex Hippocr. 2. Aphorismorum Aphorismo 51.) euacuare periculosum: quod vero paulatim fit, tutum est. Nam si in suppuratis, & hydrope; pure & aqua, quæ toto genere præter naturam sunt, vniuersim effluentibus, mors sequitur, Anima subito deficiente, viribusque concidentibus: quanto maior fieret perturbatio, & grauius sequeretur incommodum ex purgante medicamento subito humorem à venis vi maxima educente? & maxime cum omne purgans medicamentum Naturæ inimicum sit, & ipsam alteret, orique ventriculi obesse soleat. Hæc itaque de quantitate purgantium medicamentorum definita sint.

Quo

Quo tempore, & qua hora medicamentum purgans dari debeat.

CAPVT VI.

QVo Tempore autem Morbi purgantia medicamenta danda sint, cum morbi salubres quatuor habeant tempora, principium, augmentum, statum & declinationem? Medicus purgare non debet, nisi concoctionis signa apparuerint. Hic autem concoctionem accipio, nō proprie, vt est deductio quædam in propriā concoquentis substantiam. sic enim coctio nutritio est, quæ humorū tantū propria est, qui boni sint, & alēdo corpori vtiles. qui vero humores morborum causæ sunt, putridi hi, noxiiq; & nutriendis membris inepti habentur. Verum Hippo. generali quodam concoctionis vocabulo vsus, humores huiusmodi vitiosos excrementaque tunc cocta vocare consueuit, cum Natura ea vincit, illisque dominatur: cruda vero, quæ non sunt euicta. Ob id Hippoc. & pus concoqui ait, quanquā pars nulla ex pure alimoniam accipiat. Sic & biliosorum humorum concoctio existit. Qui igitur humores in inanimato corpore putrescunt ab ōni cōcoctionis ratione degenerant, innato calore nihil ad permutationem eorum conferente. Verum, cum humores putrescunt, in nobis anima præditis, quam-

Coctio dupliciter sumitur proprie & communiter.

uis hi nutrire non possint, tamen coctionis nomine in suo vniuersaliori significato accepto, cum Natura excrementis illis & humoribus corruptis fortior fuerit, eosq; pro suo robore permutauerit, tunc ea cocta appellamus. Sic itaque Vrinam coctã vel crudam, sic Corizam, & Catharrum, sic & bilem vel crudam, vel coctam esse pronunciamus. quod Galenus annotauit in secundo libro De ratione victus in acutis comm. 44. Cum igitur concoctio huiusmodi aliqua apparuerit, tunc commode purgans medicamentũ propinandũ. Hac ratione Hippocratis primo Aphorismorum Aphorismo 22. sententia fuit, quod concocta medicari oportet, atq; mouere, nõ cruda neq; in principiis. sic enim, & Natura cum recte operatur, efficit, vt prius concoquat, post bonũ à malo discernat, deinde vero expellat. Cum itaque in morbi principio semper sint signa cruditatis, mala semper erit euacuatio in morborum principiis. ideo Hippo. scripsit in principiis medicari opus nõ esse, ac mouere, nisi materia turgeat. cum enim materia aliquando turget in morborum principiis, & mobilis est; atque à partibus ad partes transfluit, ægros quiescere non permittens; cum timor sit, ne in membrum principale irruat, in principio morbi purgante medicamento nulla expectata coctione euacuari

Natura cũ recte operatur, quid faciat.

cuari

cuari poteſt. Tunc enim naturã ipſam euacuationi adminiculantẽ habemus. Quod ſi quiſpiam dicat, quamuis materia turgeat, tamen in principio vacuandam non eſſe: tunc enim boni humores cum malis permiſceri poſſent, & humores boni purgari, malis in corpore relictis. Verum hæc mala minora ſunt, maiora vero, quæ ex hoc commoda ſequuntur. materia enim euacuata amplius timendum non eſt, quod membra petat principalia. & cum Natura adhuc valida expulſionis opus moderetur, pharmacumque electiue trahat, bona cum malis miſcere non poterunt; ſed mali humores eiicientur, boni vero in corpore relinquentur. Tales igitur humores mobiles, & turgentes in principio ante coctionem vacuare rationabiliter licet: eos vero, qui iam ſunt in aliqua corporis parte firmati, neque alio vllo auxilio mouere oportet, neque medicari ante concoctionem. Quod Galenus primo Aphoriſmorum comm.22. & Auicenna in quarte primi c.3. ſcriptis mãdarunt; ideo & in acutis morbis, ſi in ipſis humores quieſcant concoctionem expectare debemus, nec in principio purgare: quod Hippo. docuit primo Aphoriſmorũ Aphoriſm.24. his verbis. In acutis paſſionib. raro & in principiis medicinis purgantibus vti, & hoc cũ pręmeditatione faciendum. quod

Obiectio.

Solutio.

ab Hipp. Auicenna accepit in quarta primi c.3. Sed hoc ſtatim in ambiguũ reuocatur. *Quæſtio.* Hipp.n.ſecundo, De Ratione victus in acu tis text.11. in pleuritide deſcendente dolore ſtatim purgante vtitur medicamento nulla *Solutio.* expectata concoctione,& tamẽ in pleuritide materia in loco vno quieta cõtinetur: ſic in Angina colica,& Apoplexia, quãuis materia in vno loco quieſcat,tamen ſtatim prima die purgamus; Niſi eſſet,quod in pleuritide materia illa non quieſcebat,ſed mobilis erat, & quaſi turgebat:ideo cũ ex ſui natura illa habilis eſſet ad ad expulſionẽ,Hippoc. ſtatim à principio eam purgauit.nec in morbis periculoſis,qui ſpatiũ vllum temporis ad humorum cõcoctionẽ præbent expectanda eſt concoctio,ſed in his prima ſtatim die purgare poſſumus. Porro quãuis Hipp. & Galenus ſecundo Aphoriſmorum Aphoriſmo 22. cõſulant humoribus quieſcentib. & in aliqua corporis parte firmatis, concoctionem expectandam eſſe,quoniam oportet concocta medicari, & mouere, non cruda neque in principiis; tamen id præter omnem rationẽ videtur;& ſuis hæc præceptis aduerſantur. Hippo. enim ſecundo Aphoriſmorum 29.dixit, In principio morborũ, ſi quid mouendum videtur, moue:cum vero morbi conſiſtunt ac vigent, melius eſt quieſcere. Galenus vero in commento exponit

Authoritates & rationes quod in principijs morborum purgatio cõueniat.

ponit ſectionem venæ, nonnunquam vero, & purgationem circa morborum initia cõuenire, & rationem reddit. nam in principiis melius eſt euacuare, quo minorem iam factam materiam facilius Natura poſſit cõcoquere. in principiis itaque, quicquid alibi ſenſerit Hipp. nondum apparentibus ſignis coctionis medicari poſſumus.

Præterea, ſi cum apparent ſigna concoctionis purgantia medicamenta conuenirent, cum concoctio non accidat priuſquã morbus ad ſtatum peruenerit, in morbi ſtatu vel declinatione medicatione vtendum eſſet, quod tamen Hippo. tanquam valde irrationabile deteſtatus eſt, primo Aphoriſmorum Aphoriſm. 20. his verbis; Quę iudicantur & iudicata ſunt integre neque mouere neque nouare aliquid, ſiue medicamentis, ſiue aliter irritando, ſed ſinere oportet. Cum hæc dubitationem facerent, nonnulli purgationem duplicem excogitarunt, ſeu rectius ſomniarunt: alteram, quæ nõ totam materiam, ſed eius aliquam portionem euacuet, & minorem reddat: alteram vero, quæ totã illam radicitus detrahat, & expurget. Ideo dicunt Hippocratem & Galenum, ſecundo Aphoriſmorũ, Aphoriſmo 29. admittere purgationem primo loco traditam; poſteriorem vero in principiis nunquam conferre, ideoque ſummopere à Medico vi- *Distinctio purgationis falsa.*

tandam esse. Hac communi omnes respon-
sione se satis purgasse opinantur, Hippo-
Confutatio. cratisque, & Galeni mentem assequutos;
longe tamen falluntur, & in errore grauis-
simo versantur: cum Gale. 2. Aphoris. comm.
29. purgationem nonnunquam in princi-
piis morborum dixerit conuenire; nō enim
de humoribus quietis, & in parte aliqua fir-
matis intellexit, sed de materia turgente &
mobili, quæ quoniam (vt putauit Hippo.)
raro in principiis morborum turget, ideo &
Galenus à doctrina Hipp. non deuians, op-
time inquit; nonnunquam purgationem in
principiis morborum adhibēdā esse. Ratio
vero illa, quā attulit, non purgationi, sed ve-
næ sectioni accommodari debet. nam vn-
decimo Methodi capi. 15. in sermone secti-
onis venæ, non autem purgationis, eandem
ferme protulit rationem, sic dicens, In sin-
gulis febribus, quas putrescens humor ac-
cendit, saluberrimum esse sanguinem mit-
tere; & rationem adiecit; leuata nanq;, quæ
corpus nostrum regit, natura, exonerataq;
eo, quo velut sarcina, premebatur, haud
ęgre quod reliquum est vincet, itaque pro-
prii muneris oblita & coquet, quod conco-
qui est habile; & excernet, quod potest ex-
cerni, hæc Galenus. Adhuc illud absurdū est,
cū materia cruda sit, existimare tūc bene a-
liquid euacuari posse; cumque ministri sint
naturæ

naturæ recte operantis; male in hoc ipsam imitantur, quæ primo cõcoquit, post bonũ à malo discernit, demum expellit. Quare, si nunquam Natura, cum regulariter operatur, materiam in morborum principiis minorem reddit, nisi prius eam concoxerit; male isti tentant in principio morbi materiam purgantibus medicamentis minorem reddere. Quod cum ita sit, cum ipse in re tã dubia diutius anceps fuissem; tandem post diuturnos studiorum meorum labores ac vigilias, cum sedulo Galeni volumina euoluerem: quid hac in re dicendum foret, obiter inueni; quod iam pro viribus explicare conabor.

Nona opinio vera ex Hippocr. & Galeno accepta.

Hippocrates in pri. Epidemiorum, sectione 2. tex. 84. casum quendam proposuit, qui, cum raro accidat, ideo nouitatem omnem excedit. Scripsit enim Tubercula quædam, & parotidas prope aures quibusdam ad suppurationem venisse, eos tamen periisse. Galen. in comm. valde miratur, idque ait his, quæ Hippo. in primo Epide. sectione secunda text. 45. retulit manifeste pugnare; ibi enim ait coctiones celeritatem portendere iudicii, securitatemque salubrem; hic vero quamuis parotides maturæ essent, & concoctionem indicarent, tamen mors sequuta est. Verũ Gale. Hippocratẽ statim à cõtradictione vindicat respondens, quod

causę

causę Febrium, quę intra venas erant, concoctæ non erant: nam nō periissent. Fieri enim potest, vt quapiam in parte priuatim sit concoctio, toto morbo adhuc crudo. Quod cum ita sit, hac ratione accidit, vt purgans medicamentum in principio morborum, in quibus humores quiescūt, exhiberi possit. potest enim in principio aliquando in parte aliqua corporis citius, quam in alia, fieri concoctio: vel quoniam pars vna altera robustior esse potest, vel ob diuersitatē materiæ concoquendæ, quæ cum sit heterogenea, aliquando secundum vnā partem vincitur, & concoctionem recipit, reliqua cruda & incocta remanente. hinc fit, vt quandoque in principio morbi, quamuis humores firmati sint, illis tantum ex aliqua parte concoctis innoxie, & sine periculo pharmacis purgantibus vtendū sit. Quod si in principio morbi nullum nec minimum concoctionis vestigium in vrinis adfuerit, tunc crudis omnino humoribus existentibus, in principio nihil purgatione mouendū; Sed Crisis expectanda est, qua facta, si perfecte Natura mouit, nullo medicamento opus est: Vbi vero mediocrius ac imbecillius egit, id quod deficit, oportet supplere. vt ab vtroque noxii humoris fiat euacuatio. Natura quidem expellente, Medicamento vero attrahente, teste Galeno primo Aphorismorum

Fieri potest vt quapiam in parte sit concoctio toto morbo adhuc crudo.

Responsio Galeni.

morum comm.22. Recte itaque Hippo. docuit Aphorismorum primo, Aphorismo 20. Quæ iudicantur, & integre iudicata sunt, non esse mouenda, neque medicamentis, neque aliter irritando quicquam esse innouandum: sed Naturę totum negotium relinquendum esse. Omnia igitur conspicua sunt, & adeo aperta, vt verear ne prolixitatis magis, quam breuitatis crimine damnandus sim. Vnum superest Medicos admonere, vt horam semper minus molestam, & magis quietam eligant, & in illa Medicamentum tribuant; vt non modo noscant, in quo morbi tempore, sed etiam qua hora pharmacum offerre conueniat.

Sed iam quod toties, vt manifestum, & suppositionis loco accepimus, inuestigemus: quo modo scilicet medicamentum purgans humorem proprium trahat atque prolectet.

Quomodo, & quanam facultate medicamentum purgans humores trahat.

CAP. VII.

QVOMODO Medicina humorem sibi proprium alliciat Medicum Rationalem latere turpe est; quod sane propter varios attractionis modos, & quia Galenus hac in re satis inconstans videtur, adeo abstru-

trusum est, & abditum, vt pauci reperiantur, qui ab hac inuoluta rerum ambage se eximant, & in tutum Veritatis portum se recipere possint. Vt enim ab Aueroe incipiã, hic in quinto collectaneorum adeo hac in re confusus fuit, & parum constans; vt nec sibi, nec aliis satisfecerit. modo enim primis elementorum virtutibus modum proprium attrahendi subtraxit, modo inuitus iterũ in elementa delapsus est. Adde quod Physicorum 7. illum trahendi modum, quo id quo trahit quiescit, eo quod attrahitur moto, attractionis nomine, quod loco allegato fecit, vocare noluit. Quid? quod ipse in hoc multum delirat, cum inquit Medicinam proprium humorem attrahere, quod ipsum cognoscat. quasi Medicina sit animal; quo quid ab omni magis ratione alienum, quid magis temerariũ effundi poterat? Auerois igitur hac in re falsus, & sibi ipsi repugnans fuit.

Prima Auerois opinio de facultate, qua medic. attrahat, falsa.

Mesue vero in Primo libro simplicium dixit Medicinam ipsã, non ratione contrarii (contraria enim se expellunt, nec vnum alterũ trahit) nec ratione similitudinis (simile enim nõ patitur à suo simili) nec ratione materiæ, quia grauis sit, aut leuis; humorẽ sibi propriũ allicere: sed quia Medicina talis est, ideo humorẽ propriũ electiue educit. Medicina autem talis est ratione Caloris

Secunda opi. Mesue.

ris cœlestis. Dotatũ n. omne dupliciter est, virtute elementaria, & virtute cœlesti. illa quidẽ cõmuni, hac vero propria. illud n. quod calidum est, tantum calefacit: quod frigidũ, refrigerat. Aliquid vero solutiuum dicitur, quia cœlesti calore dotatum sit, eius mixtionem regulante. Ideo ait Platonem dixisse, Naturam nos proprietatibus dotasse. Hæc Mesue. Galenus vero tertio De Simplicium Medicamentorum facul. cap. 25. Voluit inter Medicinam attrahentem, & humorem attractum conuenientiam esse in substantia, & ob id Medicinã attrahere; sic itaque ibidem scripsit: *Quia attractiones substantiarum similitudine fieri ostendimus (demonstratum enim subinde est in purgationibus attractionem esse eorum, quæ purgantibus medicamentis similia, haud vero omnium simul succorum alterationem) similitudinem quãdam inesse vtrisq; substantiis, & eius videlicet, quod purgat, & eius quod purgatur necesse est. Porro, cum quod purgatur pituita est, quod trahit, pituitosum sit, oportet. Pituitosum aũt esse oportere, quod trahit, diximus, non autem plane pituitam. Etenim similitudinem inesse substantiis diximus, non identitatem. contrarium enim cernimus. neque enim ferrum ferrum, nec caro carnem attrahit.* Hæc Galen. ex quibus, quã male occasionẽ

Galeni opinio vera.

Aui-

Auicenna male Galenum reprehendit.

Auicenna acceperit, vt Galenum erroris insimularet, quis non videat? verum dum reprehendit, reprehensione nõ caret: quippe qui vel Galenum non legerit, vel tantum inuidia quadam percitus, non veritatis amore captus ipsum acerrime maledictis insectetur. nam in quarta primi cap. 4. dixit hoc, quod voluit Galenus, verum non esse, quia si attractio fieret propter conuenientiam ferrum traheret ferrum, & aurum aurum: Cum vnum alterum quantitate vinceret. At Galenus seipsum declarauit; non enim identitate substantiæ, sed ipsius similitudine attractionẽ fieri monuit; sed aurum auro, & ferrum ferro idem est substantia, non simile. Obiectiones igitur Auicennæ ruunt, & opinio Galeni vera est, quod Medicina ratione similitudinis in substantia humorẽ attrahat. hæc autem substantia Forma est, prima ergo attractionis causa forma est specifica similis formæ humoris attrahendi.

Prima attractionis causa forma est.

Verum quoniam hæc forma substantia est, & substantia immediate non agit, cum omnis actio fiat ratione contrarii; nulla vero in substantia teste Aristotele in prædicamento substantiæ, sit contrarietas: ideo ab hac forma Naturalis quędam potentia fluit, quæ & vis, proprietas, ac facultas dicitur, & hæc immediatum est principium agendi, attrahendique; calore tamen cœlesti attra-

tractionē illam coadiuuante. Ideo inter ea, quæ essentiis seu substantiis similia sunt, quod calidius est, id potentius trahit, vtpote quod similitudini auxiliarium calorem adiunxerit. Recte igitur Galenus tertio, De Simplicibus medicamentorum facultatibus capi. vigesimoquarto, dixit, qualitatum quæ in substantiis sunt, proprietatibus attractiones perfici. Substantię enim idest formę ipsæ medicamentorum purgantium principales & primariæ sunt attrahendi causæ, intercedentibus tamē mediis proprietatibus qualitatū idest facultate ꝓpria, à forma cœlesti fluente, & calore illo cœlesti. Hinc fit, vt si forma ipsa primo modo per se seorsum ab aliis consideretur; substantia sit: si vero secundo modo, vt ab ipsa actio procedere debet; hæc autem nō proueniat ab ipsa immediate, sed media facultate intercedente; per quam, & formam illam ignotam circūscribimus, & facultatem vocare solemus. facultas autem illa medicamentorū cum intendatur, & vetustate remittatur, & intercidat; accidens sit; ideo forma hoc modo cōsiderata, vt agit & facultas dicitur; accidens est: & sic forma, per quam Medicamentum trahit, & substantia & accidens dici potest: quo habito lites plurimas & quæstiones hac in re vnusquisque & soluere, ac componere poterit. Attractio itaque à medicamento

Verborū Galeni expositio & sensus quisit.

Forma per quam medicamentum trahit & substātia & accidens dici potest.

purgante perficitur qualitatum familiaritate, seu totius substantiæ similitudine, veluti quæ nutriuntur animantis particulæ, familiare sibi nutrimentum alliciunt. attractioni autem isti calor cœlestis auxiliatur & suppetias affert. ideo quamuis medicamenta purgantia humoribus detrahendis familiaria sint, illis tamen valentiora efficacioraq; quodammodo esse debent, vt trahere sint aptiora, quam trahi; ideoque lapis Magnes ferro familiaris, eique magnopere specie persimilis est, cum ad naturam ferri accedat inque ferri metallis reperiatur; vt tamen attrahat ferrũ, nec ab ipso trahatur, ferro fortior est. Sic & Cnicum à Natura pituitæ alienum est, vti colore suo præ se fert, sed tamen calore ipso quam pituita valentior est, vt trahere, quam trahi magis par sit. Ideo Ratio Mesue nulla est. attractio enim non solum ratione similitudinis, sed & valentioris eiusdem virtutis robore, calorisque perficitur. In hoc tamen Mesue laude sua defraudandus non est, quod dixerit à calore cœlesti attractionem fieri. neque enim attractio fit ab elemētali calore. hic enim quodlibet promiscue & indistincte trahit; sed cum Medicamentorum tractus electiue fiat; proculdubio à perfectiori quodam, & diuiniori calore coadiuuari, & perfici fatendum est. Verum si Mesue principalé trahendi

Ratio Mesue nulla est.

hendi causam calorem cœlestem esse existimauit, in hoc longe decipitur: sin calorē illum non primariam, sed secundariam & coadiuuantem attractionis causam esse voluit, tunc id quod veritati, & Galeno vndequaque consonat, pronunciauit.

Mesue opini. vario modo intellecta & vera & falsa dici potest.

Attractio autem hoc modo fit, Medicina enim assumpta primo in minimas partes frangitur (quicquid hic æmulus oblatret Auerois) quæ postea aliquo tempore corpori adiunctæ manent, vt calidæ ex potentia actu fiant, & sic Medicina ad actum deducitur; vt Galenus opinatus est in tertio libro De Temperamentis cap. primo. Vbi autem Medicina, quæ ventrem soluit, in ventriculo ad actum deducta fuerit, tūc cito ad intestina labitur. Proinde Hippo. 2. De ratione victus in acutis, text. 12. vt medicamētum cito ad ventriculi fundum descenderet, post assumptum medicamentum ptissanam protinus sorbēdam dari præcepit. hæc enim & malam qualitatem pharmaci in ore relictam immutat, ac abstergit, deorsumq; medicamentum trahit. quod & Gal. repetit in suo libello, Quos, & quando purgari oportet, Vbi autem medicamentum in intestinis fuerit, tunc nequaquā tanquam ociosū feriatur; sed ab hepate & venis virtute sua propriū humorem elicit. Vapor enim à medicamento exhalat, virtute & facultate

Quomodo fiat attractio à medicina.

Virtus medicamenti hu-

morem adit substantia ipsius immota

ipsius præditus, qui humorem ipsum adit, eumque, qui sibi proprius est, proritat, mouetque, ac electiue educit, substantia medicamenti immota manente, & intestinis aut ventriculo quiescente; vt Mesue in suo libro De Simpl. cap. 2. testatum reliquit. Vbi vero humores noxii ad intestina vi Medicamenti confluxerint; & in illis cōgesti fuerint, tunc illorum copia vel acrimonia vis insteſtinorum expultrix concita insurgit; eosq; foras exturbat, & excutit. Non enim veluti quidam Erasistratei falso sibi persuaserunt, medicamenta purgantia humorem, quem trahere debent, generant, nec reuera quicquā purgant, sed cum immutatione quadam & euacuandorum corruptela (vt illi dicebant) inaniūt. hoc enim experientia falsum deprehenditur. si enim euacuatione tantum facta illi qui bile laborant, sanantur: non quia bilis educta fuerit, cur ego aliud pharmacum nigrā bilem euacuans, vel vena secta illis non prodest?

Erasistrateorum opinio falsa.

Si igitur icterici bile euacuata melius se habent, & colorem acquirunt meliorem; si eductis aquosis humoribus hydropici sanātur, aliis vero pharmacis alium humorem educentibus nihil iuuantur: necessario fateri coguntur, certum & proprium humorem à proprio medicamento detrahi, non qualecunque in venis fuerit, in id mutari, quod

virtus

virtus Medicamenti ipſum conuertere ſuapte natura valet. Illud præterea falſum eſt, quod quidam temere iudicarunt, ex humoribus primum tenuiſſimos, poſt corpulentos, poſt craſſiſſimos educi. Medicamentũ igitur idẽ, ſi debile ſit, primo aquoſa; ſi virtus eius proſiſtit, mox flauam bilem, ſi robuſtius ſit, mox nigram bilem euocare. ſed hoc eſſe non poteſt. ſi enim demus medicamentum nigram bilem educens, primo illam deiicit à principio. Verum tamen eſt, quod primum liquidiora, deinde corpulenta magis ſequuntur. Qua de re patet medicamentum ante omnia vnumquodque ſuum humorem educere, quia tamen vnusquiſque humor ſua excrementa habet aquoſa, propriamq; ichorem, teſte Galeno ſexto Epidemio. ſectio. ſecunda, tex. 37. ideo primo illius ichores, poſt ipſe humor craſſior excuti ſolet: non tamen quod primo aquoſum excrementum, poſt flaua bilis, poſt pituita, vltimo nigra bilis egeratur.

Opi. quorundam de ordine quo medi. humores trahat falſa eſt

Confutatio. Ratio prima

Præterea, ſi fortiora medicamenta plurima educũt, ex medicamentis atram bilem purgantibus primo aquoſa, poſt bilioſa, poſt pituitoſa educi deberent; pluraque ex his Medicamentis atram bilem trahentibus bilioſa educi deberent, quam ex propriis medicamentis flauam bilem ſoluentibus detrahi ſoleant: cuius tamen con-

Secunda.

trarium quotidiana experientia nobis ostendit.

Tertia. Quin etiam, si Medicamenta tenuiora primum ducerent, mox vero crassiora, quare primo sanguis ante atram bilem non exiret? cum sanguis tenuior sit, atra vero bilis crassiior, & veluti sanguinis sedimentum, qualis in vino fex est: id tamen nunquam accidit. immo vltimum, quod semper in purgationibus exeat, sanguis est: quia naturæ est familiarissimus; vt in libro De Natura humana dixit Hippo. *Epilogus.* Qua Facultate igitur; quomodo, & quo ordine medicamẽta purgantia humores educant, ex iam dictis perspicuum esse arbitror. Nunc ad reliqua stylum conuertam.

De causis purgationem prohibentibus, & quæ præparatio purgationi præmittenda sit.

CAPVT VIII.

Quibus de causis vel difficilis vel nulla noxiorum humorum sequatur vacuatio.

PLVRIBVS interdum de causis purgatione data, vel difficilis, vel nulla noxiorũ humorum per aluum sequitur vacuatio: vel enim ob ægri naturam, quæ non nisi vehementioribus medicamentis soluatur, leuiora vero quælibet aspernetur: vel quia quod purgare debet, exiguũ fuerit. nam in Minori quantitate exhibitũ Medicamentum nihil mouet. Plerũque vero stercus densatum, atque

que in aliquo inteſtino exiccatum, quod antequam medicamentum exhiberetur clyſteri ſubduci debuit, euacuationem prohibet.

Poteſt interim Materia ad vrinā vergente, potio, quæ aluum ſubducere debebat, nihil efficere. Quod ſi aliquando euacuatio fruſtretur, medicamento in corpore remanente, ſi talis ſit Medicina cibalis, vt olera ſunt, videlicet lactuca, & huiuſmodi; vel Medicina benigna & mitior, vt Caſſiæ medulla, tunc hæc à calore naturali facillime ſuperatur, & in corporis abit nutrimentum, nullamq; corpori infert moleſtiam. Quæ vero mediocria ſunt, cum nō purgant, in humorem, quem trahere debeant, vertuntur. Ideo Cnicum, cum pituitoſum ſit, facile in pituitam degenerat, cum purgatione fruſtratur; demumque pituita illa in ſanguinem vertitur, & nutrit. Alia vero medicamenta, quæ vim habent deleteriam, vt Scammonea, in corruptionem, pernitiem, ac venenum vertuntur. Interdum vero inflammatione in hypochondriis exiſtente, difficilis ſequitur purgatio. Quod ſi obſtructio meatuū in corpore adſit, & humorum craſſities atque tenacitas, tunc præparatio ante purgationem præmittenda eſt. ideo ſi inteſtina obſtructa ſint, clyſter pinguis & humidus, vt monet Galenus in libro artis Medicæ cap. 94. præmittendus. ſi meatus per

Cum fruſtretur euacuatio quanam ſint medicamēta quæ in cibū quæ vero abeant in venenum.

Prima præparatio purgationi præmittenda.

quos traiici, & deduci debent humores, obstructi sint, aperiendi sunt, ac reserandi; si humores crassi sunt, attenuandi: si glutinosi incidēdi: at in attenuatione cauendum est, ne fiat subito fortis resolutio, ita vt quod subtile est, resoluatur; reliquum vero, quod crassum est, maneat irresolubile, & lapis fiat, Auicenna in quarta primi ca. 24. hanc vero præparationem Hippocrates docuit 2. Aphorismorū, Aphorismo nono: cuius principium est, Corpora cum quispiam purgare voluerit, oportet fluida facere: quod si fiat, tunc recte purgatio procedet: qui vero istud neglexerint, vomitus autem atque alui subductionem procurauerint, iis difficiles obueniunt purgationes non sine torminibus interdum, & vertigine quadam, fastidio multo, & malo pulsu ac dissolutione, & difficultate. ideo hæc omnia ante purgationem paranda sunt, vel si humores crassi sint, syrupis attenuantib. prę missis, vel incidentibus, si humores tenaces & glutinosi fuerint, cum propriis aquis seu Decoctis, vel victu extenuante: per hunc enim humores crudi concoquuntur, ac optime præparantur. ideo extenuante victu vtentibus recte sine labore aliquo succedet purgatio. quod Galen longa experientia ita se habere didicit; vt refert 2. Aphor. comm. 9.

Secunda præ

Sed & alia etiam ante purgationem requiri-

quiritur præparatio, vt ibidem inquit Gale. & Aucen. in quarta primi cap. 4. vt ante vomitum, quo æger vomere assuescat, vomitũ irritando: &, si venter deiiciendus sit ante deiectionem continuo aluum subducendo.

paratio.

Verum hic dubitatio oritur non parua; vtrum humores tenues à principio nulla alia pręmissa concoctione euacuari possint, an vero ipsorum aliqua modica expectanda sit incrassatio. Auicen. enim in prima quarti tractatu secũdo, cap. 7. in Rasim maxime inuehitur, qui dixit intentionem in digerendo esse attenuare; ideo tenues humores, cũ semper digesti sint vel in morbi principio, idcirco nulla alia expectata concoctione euacuari possunt. Sed Auicenna id falsum esse inquit, immo digestionis finem esse ait substantiam materiæ adæquare, & quod subtile est, quia diffluit ac dispergitur, ideo, vt commode purgetur, crassius reddẽdum esse. quod vero crassum est, attenuandum. à quo nec Galen. dissentit, qui in libro De constitutione Artis Med. cap. 19. dixit illud, quod redire in naturalem statum valet alterandum esse per contraria, crassum lentumque tenuando, tenue vero crassando, vtraque communiter concoquendo. Ex altera vero parte Rasis ẽ: cuius opinioni 7. Collect. subscribit Auerois: quod & ratio di-

Quæstio non parua, vtrũ humores tenues nulla præmissa concoctione euacuari poßint an ipsorũ modica aliqua expectanda sit incrassatio. Auicen. opi. Auicẽna ratio.

Secunda opinio Rasis.

ctat. cum enim humor tenuis ex ſui natura expulſioni aptus, ſit, ſemperque ad eam paratus, & mobilis virtutem expulſiuam vellicet, irritetq; ; in principio nulla apparente concoctione vacuari non poterit? Adde & authoritatem Gale. qui in libello illo Quos, & quando purgare oportet, nos hortatur inter initia morbi tenues, & aquoſos humores expurgare: vbi vero craſſi & tenaces fuerint, quales ſuapte natura ſunt pituita, & nigra bilis, concoctionem eſſe expectandam. Quamobrem in hoc magis Galeno, & rationi adhęrendum, quam Auicennæ. cum enim humor tenuis ex ſui natura ad fluxum paratus ſit, nec vlterius pręparatione noſtra egeat, ſine dubio in principio morbi ſine noxa eum euacuari poſſe negãdum non eſt. Quod vero Galenus voluit in libro De Conſtitutione Artis; id tale fuit; vt humores, qui qualitate aliqua à propria natura receſſiſſent, in naturalem ſtatum contraria adhibita qualitate reuocaret: non autem eius intentio fuit vitioſos humores pharmaco purgante deiicere. Vnde & Auicenna perperam Galeni verba accepit. quare cum & Galenus ſecundo Aphoriſmorum comm. nono, nullam de tenuium humorum præparatione mentionem fecerit, illos ſemper natura ſua paratos fluidosque eſſe, & purgationi obnoxios firmiter tenen-

Ratio.

Gale. authoritas pro Raſi contra Auicennam.

Vera Galeni & Raſis opinio.

Solutio.

tenendum. Satis igitur de præparatione dictum sit.

Per quas vias humores singuli purgandi sint.

CAPVT IX.

PER QVAS partes humores singuli euacuandi sint, id ex Natura morbi, ex consuetudine, ex Natura humoris, & loco affecto cognoscetur. Morbus igitur quisque proprium humorem, qui ipsius causa sit, detrahi cupit. Si igitur humor aliquis in toto corpore redundat, vt in hyposarca, tũc primo pituitæ purgatio per inferiora, post per vomitum, vltimo per nares & palatum fieri debet. Consuetudo vero inspicienda est, vt si aliquis assuetus fuerit, facilius per superiora euacuatur: non assuetus vero non sine periculo id tolerat. Natura vero humores, & locum per quem vacuari debet ostendit. ideo conuenit bilem flauam per superiora, pituitam vero per inferiora ducere: quamuis interdum contrarium facere oporteat, si in ventriculo pituita, in intestinis flaua bilis aggesta fuerit. Ideo Hippo. in libro de salubri diętatex. 15. in hyeme, quia abundat pituita, vomitum suadebat; in æstate vero bile tunc temporis dominante, clysteres; idque loci ratione habita, in quo humores illi geniti erant;

Quot nam sint quæ ostẽdãt partes ꝑ quas commode humores vacuari possint.

Obiectionis solutio.

erant:non considerata humoris natura. Atra vero bilis ex sui natura semper per inferiora eiicienda est. Quod si Galen. primo ad Glauconem in cap. De Cura Quartanæ, vomitum post cibum laudauerit, hunc non ratione atræ bilis; sed pituitæ in ventriculo aggregatæ, suique præsentia causam quartanæ, atram bilem scilicet fouentis, procurandum censuit. Locus etiam affectus viam cõmodã vacuandi indicat, vt exempli gratia, inflammatione in simis hepatis partibus existente per aluum, gibbis vero inflammatis per vrinam humores expurgandi sunt. Temporis etiam anni cognitio non parum confert: ideo Hipp. 4. Aphorismorum quarto dixit, Medicari æstate superiores magis, hyeme vero inferiores opus esse. Sic & Regiones calore frigoreque affectæ æstimandæ sunt. Tempora etiam morbi, per quæ loca euacuandum sit, docent. ideo in accessione à superioribus educemus; in declinatione autem eius ab inferioribus trahemus; quod ea, quæ sponte eueniunt, declarant. in accessione enim plerunque Natura vomitum mouet, fluxum sanguinis per nares: in ipsius vero intermissione lotiũ & aluus fluit. quo igitur Natura verget, eo maxime ducendum erit per loca conferentia. Aphorismorum primo, Aphorismo 21. sic igitur loca conuenientia per quę humor ducendus

Dubitationi tacitæ occurrit.

dus

dus ſit, noſcentur. Quoniam vero Medicamenta omnia, quæcunque purgant, maxime os ventriculi, quod neruoſum eſt, lædunt, ideo ſemper bene olentia aliqua medicamentis admiſcenda erunt. Talia autem ſemina odorata eſſe debent, quæ & medicamenti malitiam retundant, & eius opus impedire nequeant; quæque & attenuare, & incidere valeant, & craſſos humores ſecare; & vias per quas educi debent, aperire. ideo Hippoc. 2. De ratione victus in acutis text. 11. medicamentis hæc ſemina odorata admiſcebat, Daucũ, Seſeli, Ciminum, Aniſum, vel aliud quippiam boni odoris: quæ excogitata fuere, ne ſyncera vis medicamẽti ſola os ventris tangeret, ipſumque læderet, vt ibidem in comm. ſentit Galenus. Poſtremo nec illud mihi prætermittendũ videtur, quod Galen. in libello Quos, & quãdo purgare oportet, in fine præcepit: quod & repetit Auicenna in quarta primi cap. 4. quod compoſita medicamẽta, quæ damus, oportet ſibi inuicem conſentire, nec vlla in re diſcrepare. Diſcrepant autem, non cum hoc bilem, illud pituitam trahit, vtraque enim pari modo euacuationem procurant: verum, ſi hoc debilitet, illud tardius ab aſſumptione purgare incipit. ita nanque inæqualiter euacuatio celebratur, quamuis ſimul accepta ſint. inæqualem autẽ euacuationem

Odorata & bene olentia medicamentis admiſcenda.

Compoſita medicamẽta ſibi inuicem oportet conſentire nec vlla in re diſcrepare.

tionem dico, si cum hoc desiuisse videtur, euacuatio alia rursus incipiat. ideo cum vẽtris solutio turbetur, & vna ventrem soluat, antequam secunda, Medicinæ male commixtæ, & compositæ vitandæ sunt. Duplici autem ratione male commixtæ sunt, vel quia non bene ad vnam formam redactæ sunt: quam de nouo per fermentationem acquirere solent. ex pluribus enim simplicibus Medicinis simul permixtis, ex mutua ipsarum inuicem actione & passione meritò qualitatum contrariarum in ipsis repertarum, & in vnum tandem propter fermentationem conspirantium, alia quædam forma diuersa, & distincta à qualibet illorum simplicium particulari forma prouenire solet. Cum itaque simplicia ipsa per fermentationem ad vnam formam non peruenerint, tunc medicamenta illa composita inuicem dissident, & male commixta sunt. Vel hoc accidit, quia simplicia illa adeo discrepant, vt suis aduersis qualitatibus proprietatibusque in vnam formam coire nequeant. Ergo optime corrigenda sunt medicamenta, quod Mesue in suis libris diffuse satis explicauit. Quocirca non temere his Medicamentis compositis vtendum est, nisi hæc longa experientia comprobata fuerint. Sed iam de perfectæ purgationis signis loquamur. sic enim omnem de purgatione tractationem absoluemus.

Duplici ratione Medicinæ male sũt commixtæ.

Quibus signis perfecta purgatio dignoscatur.

CAP. X.

QVIBVSNAM signis perfecta purgatio dignosci possit, docuit Hippo. primo Aphorismorum, Aphorismo secundo, his verbis, Si talia purgentur, qualia purgati oportet, confert, & leuiter ferunt; sin minus, contra. Nam si Medicus ea quæ recte à natura fiunt imitari debet. Natura vero cum superfluum humorem euacuat, iuuatur Animal; cum vero alioqui quod corpus infestat non excernit, nulla sequitur vtilitas, & ægri grauiter ferunt. sic si talis per pharmacum purgatio fiat, qualis fieri debet, confert & leuiter tolerant. Si igitur Medicus aliquã euacuationem faciat; eorũ humorum esto, qui corpus nostrum infestant. Sic igitur flaua bile peccante medicus flauam bilem euacuet, non pituitam: sic si pituita molesta sit, ipsam subducat, & à bile abstineat. Quinã aũt malus humor in corpore superabũdet, q euacuationẽ desideret; id Medic⁹ cognoscet ex colore corporis, ex symptomatibus, morbis, tempore anni, regione, ætate, cõstitutione, natura ægrotantis, vitæ instituto, & victu. Si igitur talia purgentur, qualia oportet: per qualia enim humorum abundantiam sua qualitate infestantium ægrum intellexit Hippo. Si Talia inquam pur-

Qui humor in corpore peccet quibus nã signis sit dignoscẽdum.

purgentur, confert, & leuiter ferunt. Tolerãtiæ enim facilitas maximum indicium est rectæ euacuationis. Noxiis enim humoribus euacuatis, tunc ipsum seipso ægrotum fieri leuiorem, & melius tolerare est necessarium. Quod si aliquid ex iis, quæ sunt secundum Naturam, excernatur, dissolui ac debilitari ægri vires, & tolerantiæ difficultatem sentiri; ideo Hipp. 1. Apho. Aph. 23. dixit, deiectiones non multitudine æstimandas, sed si talia deiiciantur, qualia conueniunt, & ægri facile tolerant. Duas enim has notas voluit Medicum attendere; Primam, si qualia oportet vacuentur; Secundã vero, si facile tolerent. Vnde & 4. Aph. Aphor. 2. sic inquit Hippo. in Medicationibus talia educere è corpore: qualia & sponte prodeuntia vtile. quæ vero cõtrario modo prodeunt, cohibere oportet. Auicen. vero in quarta primi capi. 4. dicit, quod cum Medicina superfluitates purgat, tunc æstus nõ adest: si vero æstus incipit apparere, tunc purgatio vlterius, quam par sit progreditur. Aliud quoque signum nobis tradit, quod si Medicina, postquam vnum euacuauit humorem, ad alium permutetur; iam significat, quod humor noxius purgatus est: & nimia tunc est purgatio. Verum Hipp. 4. Apho. Apho. 21. oppositum iudicauit, quanto enim plures praui humores medicamẽto

Duas Notas medicus debet attendere vt perfectam noscat purgationẽ.

Obiectio.


to

to educuntur, melius eſt. Quod ſane verum eſt, vbi plures & varii humores in corpore fuerint. tunc enim quanto plures mutationes colorum in ipſorum eductione apparebunt, melius erit. Auicenna vero intelligit, cum tantum vnus humor peccans in corpore ſuperabũdet. tunc enim permutatio Medicinæ ad alium quendam humorem mala eſt: cum id, quod corpori infeſtum non eſt, euacuat. quod ſi purgatio vſque ad inteſtinorũ excoriationem procedat, tunc immodica eſt, & mala. Aliud vero ſignum addit Auicenna, & eſt ſomnus: qui ſi multus poſt purgationem accedat, oſtendit, quod perfecta facta eſt purgatio, & contulit. tunc enim Natura humore illo noxio exonerata; ſpiritibus & humoribus ſedatis ſe contrahit, & in intimis corporis partibus colligit, ac recondit; Somnoq; dulci perfruitur; qui cum tunc iuuet, bonum eſt. Demum vero ſi ſitis ſuperueniat, iam perfectę purgationis ſignum eſt; teſte Hippocr. 4. Aphor. Apho. 19. ſic enim ait, Qui medicamentis purgati non ſitiunt, non deſinunt priuſquam ſitient. Cum enim ſitis vel ratione ventriculi calidioris, & ſiccioris fiat; vel ratione Medicamenti acris, calidi, & mordacis; vel ratione humoris biliosi, calidi & ſicci: cum iam purgatio completa fuerit, & aliqua ex euacuatione ſiccitas contigerit, & ratione

Solutio.

Sitis quibus de cauſis fiat & purgatione completa ſuccedat.

purgantis medicamenti latentem aliquam acrimoniam & caliditaté habentis; mirum non est, si ad perfectam purgationem sitis consequitur. His omnibus signis diligens & peritus Medicus attentus recte purgationem euenisse, nõ modo artificiosa quadam coniectura, sed & certo sciet, fiduciãq; hinc maximam habebit, nihil in corpore molesti; noxiique humoris reliquum superesse. Sed, vt Methodus nostra generalis sit, & ad omnes morbos late pateat; reliquum est, vt de Tumoribus præter Naturam, & Solutione continui paucis agamus.



VLTIMA PARS,

DE TVMORIBVS PRAEter Naturam, & abscessibus.

De Curatione Tumorum præter Naturam, & abscessuum in vniuersum.

CAPVT I.



EQVID huic nostræ Methodo deesse videatur, in hoc ordinem Auicen. sequi cupiens, de Tumoribus præter naturã, & Abscessibus, quam breuissime agam, in vniuersum eorum curationem studiosis in mentem reuocans.

Vniuersalem igitur Tumorũ præter naturam

turam curationem Galenus docuit 13. Methodi cap. 6. Scribens communem in his curationis indicationem esse vacuationẽ. Supponatur ergo quod talis Tumor sit inflammatio; & hæc adhuc sit in generatione, cum sanguis ad ipsam confluat; vel ratione totius corporis, vel ratione partis affectæ calidioris, & dolore laborantis. Primo igitur totum corpus male affectum, ne ad partem affectam aliquid transmittat, curandum. Quod si ratione plenitudinis transmittat, plenitudo per sectionem venæ vacuanda. Si alii humores à sanguine peccent, purgatione vtendum. Post, quia pars affecta ratione doloris trahit, dolor sedandus est; hic autem dupliciter sedari potest, vel vacuata materia dolorem excitante, vel alterata. Vacuabitur, vel per attrahentia, vt cucurbitulas, aut cornua caua: alterabitur per Medicamenta, quę vel qualitatibus, vel tota substantia sint contraria. Post vero, quod in parte affecta continetur, vacuari debet; vacuabitur autem & per digerentia ac repellẽtia. in principio autem adstringentibus & repellentibus; magis ad incipientes inflammationes frigidis adstringentibusque, quam iis, quæ digerunt, vtendum est. hæc Galenus: quibus verbis non negat Galenus, quin etiam in principio digerentibus vti possimus, modo in maiori quantitate repellentia apponãtur, & vincant

Curatio vniuersalis Tumorum præter naturam secundum Galenum.

Dolor dupliciter sedari potest.

Quæstio vtrũ in principio repellentibus cum digerentib. mixtis, an repel

lentibus tantum vtendū sit. cant digerentia. Huius tamen contrarium omnes ſentiunt; vt in principio repellentibus ſolum puris vtamur. quod & placuit Auicenn. in quarta primi ca. primo. Niſi eſſet, quod vbi materia bilioſa eſt, & tenuis, tunc puris repellētibus vti poſſumus: quod ſi materia in parte affecta impacta frigida ſit, & craſſa, tunc in principio cum repellentibus poſſumus etiam digerētia admiſcere. Tunc autem vti debemus in principio repellentibus, cum materia non fuerit prope emunctoria, à membris principalibus expulſa, & niſi venenata ſit: tunc enim repelli non debet, ne ad membrū principale redeat; quod præceptum fuit Auicennæ in quarta primi cap. 25. In augmento vero vſque ad ſtatum mixtis remediis partim repellentibus, partim digerentibus, æqualiter admixtis, vti debemus. In declinatione vero tantum reſoluentibus: idque Auicennæ conſilio in quarta primi cap. 25. verum idem in quarta primi capit. primo dixit; In principio ſuper apoſtema nos ſolum repercutientia ponere debere; in ſtatu vero, quod ſolummodo reſoluat: in medio autem vtraque miſcebimus. hic ergo in ſtatu reſoluentibus tantum vtitur; ibi vero, cum adeſſet ſtatus, æqualiter voluit digerentia cum repellentibus eſſe miſcenda. ſed & huius ſententiæ Galenus fuiſſe videtur, qui ſexto libro De compoſiti-

Solutio.

Quando in principio repellentibus vti, & quādo ab illis abſtinere debeamus.

Cōtradictio in verbis Auicennæ.

positione medicamentorum ſecundum locos cap. primo, inquit, quod quemadmodum in principio commoda ſunt pharmaca, quod influit repellentia, ſic poſt principium vſque ad finem pharmaco opus eſt ex vtriſque mixto, repellente videlicet, & diſcutiente facultate prædito. ac primo tempore adſtringens præcedere oportet, ad finem vero diſcutiens, interpoſito vero tpe æquales vtrorumq; partes eſſe conuenit. quid ergo dicendum? Cum ſtatus habeat principium & finem, ideo in principio ſtatus, cum timor ſit, ne ex puris reſoluentibus, quæ calida ſunt, dolore excitato, ad locum fluxio fiat; ideo tunc repellentia cum reſoluentibus miſcere poſſumus; in fine vero ſtatus, quia iam tota materia fluxa eſt, pura reſoluentia admouebimus. Verum, quoniam Medico, vt plurimum, non conſtat an tota materia fluxerit, ideo magis tutum erit, ſi poſt principium vſque ad finem cum remediis procedat ex vtriſque mixtis, & repellentibus ac diſcutientibus. repellentia enim, & calorem diſcucientium comprimment, & parti affectæ robur addent. Quod ſi per reſolutionem inflammatio non terminetur, ſed per ſuppurationem, tunc ſuppuratio adiuuanda eſt, quæ poſtea vel per ſe, vel maturantis auxilio aperietur; & quãdoque opus eſt maturatione, & ſectione. *Solutio.*

hoc itaque primum genus est Abſceſſus ſeu Apoſtematis, quod fit cum phlegmone in pus veritur. Aliud vero eſt Apoſtematis genus, cum nulla præcedente inflammatione humor aliquis ſtatim ab initio in parte aliqua colligitur. Porro hic excoriat circumpoſita corpora ſpatium ſibi moliens, vel inter duas Tunicas, vel ſub certis membranis. horum Abſceſſuum ſunt tres ſpecies, Atheroma, Steatoma, & Meliceris. hæc autem nomina ſortita ſunt à ſimilitudine ſubſtantiarum in ipſis contentarum. Aliud enim pulticulæ ſimile inuenitur, à quo Atheroma dicitur: aliud ſeuo, à quo Steatoma: aliud Melli, à quo Meliceris. horum curationem Galenus poſuit decimoquarto Methodi cap. 12. Tres enim ſunt in his communes indicationes, Totum id, quod continetur vel digerere, vel putre reddere, vel excidere. Meliceris igitur, quia ex tenui humore conſtat, triplicem hanc admittit curationem. Atheroma duplicem tantum, quippe quod vel excidere, vel putrefacere licet. Steatoma vero ſolum exciſione, quæ manuũ opera fit, curatur. Si vero hi abſceſſus in profundis corporis viſceribus ſint, tunc Medicamentis, quæ ex Aromatis conſtant, ſi vtamur, ſumma ſequetur vtilitas. hæc enim tum digerent, tum humorem in halitum reſoluent. Theriaca autem in hoc caſu Athanaſia,

Tres ſpecies ſunt abſceſſuum; Atheroma, Steatoma, & Meliceris.

Tres ſunt in abſceßibus cõmunes indicationes.

Si abſceſſus ſint in profundis corporis viſcerib. quibus medicamentis ſit vtendum.

nasia, & Ambrosia, præstantissima sunt medicamenta. Quoniam autem remedia, quæ in curatione horum Tumorum in vsu sunt, alia repellunt, alia discutiunt, ac digerunt, alia pus mouent, alia adurunt; Materia in principio adhuc fluente repellentibus vtemur: quæ sunt aqua, & acetum, oleum Ros. Solanum, Plantago, & huiusmodi. Quæ digerunt & discutiunt, phymatis & id genus abscessibus auxilio sunt, & hæc omnia constant sale, & Nitro. Concoquentia vero cõstant Resina, Galbano, & Ammoniaco Thymiamate. Pus mouentibus in his, quæ inflammatione laborant, vtendum, vt Tetrapharmaco. hoc enim ex quatuor (vnde & nomen habet) constat, ex Resina, cera, pice, & seuo vitulino pari portione. Adurentibus in diducendis partibus ac aperiendis, vt in comprehensione abscessuum, vtendum est. istorum autem Natura hæc est, lixiuium, calx viua, Auripigmentum, Sandaracha, & id genus alia. Sic itaque, & reliqui omnes Tumores curari poterunt; vt quod in ipsis continetur, euacuemus: sique in tunica aliqua humor collectus erat, oportet, & humorem euacuare, & tunicæ superuacanea auferre. quod in his qui hydrocele laborant, fieri solet. hydropicos vero facta punctione sub vmbilico ad instar myrti, paulatimque aqua euacuata, sanabimus. In his

Repellentia quæ sint.

Digerentia ex quibus constent.

Tetrapharmacũ ex quibus constet.

Natura adurentium quæ sit.

enim omnibus Tumoribus, quod toto genere præter Naturam est, sui statim ablationem cõmuni indicatione demonstrat. quare statim est submouendum; id tamen, dum hoc fit, semper agere oportet, vt rationibus quibus id fiat pensitatis, optimam semper eligamus; optimæ autem rationes tripliciter iudicantur, tum ex temporis curandi breuitate, tum ex curando citra dolorem, tum ex maxime tute curando; Authoritate Galeni 14. Methodi cap. 13. Aliqua vero nõ penitus submouenda sunt, sed in alium locũ, qui minoris momenti sit, transponenda: quod in suffusione efficitur. Hæc igitur memoriæ mandanda sunt; materiaque, quæ Apostematis causa sit, ex propriis signis noscenda est, quæ postea propriis remediis vacuabitur. Nos vero vniuersalem tantũ Tumorum præter naturam curandorum Methodum hic sub compendio tradidimus.

Optimæ rationes curandi tripliciter iudicantur.

De Solutione continui curanda.

CAPVT II.

QVAE in carne fit Solutio continui, Vlcus vocatur. hæc cõmunẽ indicationem hanc habet, partiũ vnionẽ seu conglutinationem. Vt autem hæc fiat, quatuor Chyrurgus manuũ opera facere debet; Primũ vt partes distantes applicet; secundũ est, vt

Vt vnio fiat quatuor Chyrurgus manuũ opera facere debet.

vt conseruet, quæ in vnum coacta sunt; tertium, vt caueat, nequid labris vlceris intercidat; quartũ, vt ipsam partis substantiam salubrem conseruet. Primum autem sic implebit, vt manu partes inuicem distantes blande applicet. Conseruabit autem illas simul vinculo, sutura, aut fibulis. Tertium exequetur, si caueat, ne pilus, aut oleum, aut aliquid aliud labris vlceris interueniant, Omne enim tale vnitatem impedit. Partis vero substantiam salubrem per ea, quæ mediocriter exiccant conseruabit. Vel igitur vlcus est simplex, & tunc hoc per agglutinationem tantum curabitur adhibitis glutinantibus Medicamentis. Vel vlcus cauum est, & tunc carne impleri debet. in generatione autem carnis, quia duplex gignitur excrementum, vnum tenue, quod dicitur Sanies, à quo vlcus humidum redditur: & alterum excrementum crassius, quod dicitur Sordes, & hoc vlcus sordidum reddit, teste Galeno 3. Methodi cap. 3. ideo siccantibus medicamentis & expurgantibus vlcera curari debent. Quodsi sanguis vitiosus ad partem vlcere affectam fluat, vt ex hoc carnis temperies, quæ generandæ nouæ carnis opifex est, corrumpatur; sanguis ad cõtrarias partes reuellendus erit: post vero carne genita, & glutinatione facta, cicatrix erit inducenda. Quod si alicui alteri morbo vlcus

Quomodo vnumquodque illorum quatuor Chyrurgus exequi poßit.

Vlcus vel simplex vel cauum.

In generatione carnis duplex gignitur excrementum; vnũ tenue & alterũ craßius.

Vlcera medicam ßiccantibus & expurgantibus curari debẽt.

In Cõplicatione vlceris cũ aliјs morbis quid agẽdum: superius dictum fuit cap 5.

coniunctum ſit, tunc in complicatione iſta quid fieri debeat, ex Galeno petendum eſt, tertio Methodi ca. 7. in his enim triplicem finem ſibi propoſitũ Chyrurgus habebit, vt cauſam eius, quod futurum eſt: ſecundo, vt cauſam ſine qua non; tertio, vt id quod magis vrget, conſideret. Medicus igitur quę ſtatim cruentis vlceribus imponi debent, cognoſcat oportet. hæc autem erunt, vt Barbarum & quæ fuſci ſunt coloris. alia repurgantia erunt, vt quod fit ex viridi diluto: alia glutinantia, & hæc erunt, vt galla, Mali corium, & ſpinæ Aegyptiæ fructus: alia cicatricem inducent, & hæc erunt, vt Chalcitis, Aes vſtũ, æris ſquamma, Myſi, & huiuſmodi alia. Quod ſi in oſſe ſolutio continui accidat, quæ fractura dicitur, prima indicatio, quæ nobis in hoc caſu datur, vnitio eſt. hæc autem in mollioribus corporibus & pueru lis fieri poteſt, in grandioribus vero natu ac ſenibus propter duritiem vnitio eſt impoſſibilis. ideo ſecunda indicatio nobis in his ſuggeritur, quæ eſt alligatio. hæc autem fit callo ſupernato partes fractas circum alligante. Alligatio autem fiet, & ligaturis nec laxis nec arctis, ſpleniis ferulis. Ex his enim ligaturis à parte ægra ad ſanam ſuccos alliciemus, qui facient ad calli generationem (hoc enim tanquam glutino interueniente fit alligatio) callus autem ex alimento oſſium

Vlceribus cruentis quænam imponẽda ſint.

Repurgãtia quæ ſint.

Glutinantia quæ ſint.

Cicatricem quænam inducant.

Prima indicatio in fracturis vnitio hæc in pueris fieri poteſt.

Secunda indicatio.

Callus ex

ſium craſſo, & terreſtri redundat: oſſa autem ex ſanguine craſſo nutriuntur: Sanguis vero talis generatur, qualis cibus eſt: ideo talis victus ratio adhibēda eſt, quæ talē ac tantū influere oſſibus ſanguinem paret, qualis, & quantus callo generando ſit opportunus. quo tempore autem, callus fiet, corpus alimento optimi ſucci & tenacis nutriendum erit. quæ autē hæc ſint alimenta in ſuperiori parte, in qua, de cibo & potu egimus, dictum fuit. hæc autem de fracturis, pluraq; ex Galeno 6. Methodi cap. 5. & Hippo. in libro de fracturis, haberi poterunt. His itaque iam de Tumoribus præter Naturam, & Solutione continui conſtitutis, Methodus hic noſtra concludenda eſt; in qua, ſi aliqua adhuc deſiderari poſſint; pauca (ni fallor) futura ſunt. Noſtra enim intentio hac in re fuit generalem quandam Methodum omnibus morbis curandis neceſſariam ex pluribus Hippocratis, Galeni, & Auicennæ locis colligere, cum vt ſtudioſorum omnium vtilitati conſulerem, qui nullo labore omnia, quæ ſparſim Galenus & Auicenna tradiderunt, hic in ordinē redacta habebūt; vt vno ictu oculi ſingula reperire poſsint: tum vt me ipſum vtiliſſima ratione ad rem propoſitam exercerem, ac ad obliuionem (vt Plato inquit) hanc mihi & amicis meis compendio.

quibus gignatur.

Cap. decimo tertio.

Plato in Phadro.

diosam Methodum per capita reponerem quibus rationibus etiam Galenus impulsu omnes suos libros conscripsit. Quoniam vero scribentes necessario in multis peccare solent; ideo omnes illos, ad quorum manu hæc Methodus peruentura est, rogatos ve lim; vt si quid in hac minus elaboratum in uenerint, id mihi ascribant: si quid vero in hac boni erit, id altissimo rerum omnium opifici, qui intellectum ad illud capessendi illustrauit, acceptum referant. Spero tamen si non aliud, id saltem hac in re me assequu tum; vt studiosis viam & ordinem aliquem ostẽderim, quo innixi noua plurima in me dium allaturi ad scribendum animum in ducant. sic enim omnium hominum sa- luti, sueque perpetuæ consulent memorię.

Vide Gal. 7. Meth. cap. 1.

FINIS.

METHODVS ΘΕΡΑΠΕΥΤΙΚΗ, EX SENTENTIA GALENI ET IOANNIS BAPTISTÆ MONTANI Veronenſis, Philoſophorum & Medicorum ſummorum, ſcripta à IOANNE CRATONE de Craffthеym, Cæſareæ Maieſtatis olim primario Medico.


Epigramma Ioan. Evvich. D.

De Ioh. Bapt. Montano.

Arduus vt preßis ſemper mons vallibus extat
Planitiemque ſupra tollit in alta iugum:
Sic inter medicos (rumpantur vt ilia Codro)
Montanus vere nomine reque fuit.



Francofurti ad Mœnum typis Ioannis Saurii, impenſis Nicolai Steinii.



CLARISSIMO ATQVE PRÆSTANTISSIMO VIRO IOANNI BAPTISTAE HEINZELIO, *Patricio & senatori Augustano, amico summo*, IOANNES CRATO *Medicus Physicus Vratislauiensis S. D.*



Vm ea quæ IOANNES BAPTISTA MONTANVS, Philosophus & Medicus excellentissimus, præceptor meus, biennio ante obitũ (excessit aũt è vita ãno salutiferi partus MDLI, VI. Maii, in prædio suo ad Veronam, cum LXIII ageret ætatis suæ annum) in laudatissima schola Patauina docuit, studiose & attẽte egerẽ, videbar mihi tanquã in suauissimo cygneo cantu totã doctrinã artis curatiuæ intueri. Itaq; quæ ille multis verbis, vt erat in inueniendo mirifice pspicax, & in eloquẽdo copios⁹, alias aliter dixerat, in pauca

ea contuli, & mihi tanquam exemplum Methodi proposui. Quid enim Methodum θεραπευτικὴν aliud esse putarem, quã doctrinam recta via in cognitionem morborum perueniendi, & in curando ꝓcedendi, animaduertendique certis scopis & indicationibus, quę medico initia atque progressum in agendo monstrant, quid sequi atque facere oporteat? Hanc autem clarissimus MONTANVS non solum in suis lectionibus, verum omnibus Medicis consultationibus, studiosis monstrare, & Galeni amplissimam doctrinam quasi in illustri pictura proponere, & lucem iis quę sub vmbra latere videbantur addere, ita vt omnium in oculos ea incurrerent, conatus est. Monuit etiã sapienter, metas quasdam in discendo obseruandas esse, ne mens discentis vagaretur, & vt sese quasi certis septis & cancellis includeret. In hunc vsum cũ hæc mihi de doctrina Montani collegissem, eaq; doctissimis viris cõmunicassem,

arbi

arbitrati ſunt me rem gratam & vtilem ſtudioſis facturum; ſi ea in publicum darem. Ego vero etſi intelligebam iſta perquam tenuia atq; exilia, minime luce digna eſſe: tamẽ cũ iudicarem recta, perſpicua, & doctrinæ Hippocraticæ atq; Galeni conſentientia, morem geſſi amicis, qui me ad editionem hortabantur. Ac in bona ſpe ſum, hæc artis Medicæ ſtudioſis iucunda atq; vtilia futura, & doctos hoc meum factũ non improbaturos. Nam id quod clariſſimo viro D. MONTANO præceptori meo ſemper fuit propoſitum, vt de iis quæ Medici in dubium vocarent, perſpicue ſuam ſententiã paucis verbis exponeret, & rationes euidentes monſtraret, ſummam etiam ampliſſimæ doctrinæ ordine complecteretur: idem & ego ſum ſequutus. Non vt inani perſuaſione ſcientię (quam quidam concipiunt, cum ex lectione compendiorum Medicinæ ſeſe artifices factos ſomniant) ſtudioſos imbuerem: ſed vt quaſi pri-

mas lineas doctrinę Hippocratis, Galeni & Montani proponerẽ, & Methodum curatiuã deſcriberem, hæc delineaui. Cum enim integrum & abſolutũ ſimulachrũ Methodi à Galeno ſit perfectum, & multis colorib. multis verborum luminibus ornatũ, varia etiam tanquam πάρεργα addita: vtile eſt, ſtudioſis primas lineas atque ductus oſtendere, vt artificium & rationem totius quaſi picturæ aſpicere poſſint. Nam vt pictor, quo præſtantior eſt, eo fœlicius naturã imitatur, & artem celat: ita ab excellentiſſimis Medicis factum fuiſſe animaduertimus. Quare his ſcriptis non à lectione antiquiſſimorum Medicorum, præſertim vero Hippocratis & Galeni, ſtudioſos abduco: ſed potius auctor atque hortator ſum, ſiquidem verum & exornatum corpus omnibuſque modis abſolutum intueri, & ad illius cognitionem penitus peruenire volunt, vt veterum ſcripta attente legant, & exemplaria Græca nocturna atque diurna manu verſent.

ſent. Ego quidem non tantum res ipſas Montani, verum verba quoque interdum propoſui, & dixi τὰ κοινὰ κοινῶς. Diligenter conatus ſum oſtendere, quo pacto id quod in inuentione vltimum eſt, in vſu atque actione primum eſſe debeat: & Medicam artem diſcentem vel exercentem, nihil cogitare vel agere debere, niſi certo ſcopo, certaque indicatione animo propoſita. Quæ ad quinq; ſcopos & indicantia ſpectant, explicata ſunt perſpicue, & in exemplo de febribus: in quo multa, de quibus varie Medici diſputant, clare atque recte proponuntur, quæ præcipue indicationes ſint ſequendę, ac quis delectus indicationũ habendus, oſtenſum. De coctione autem & præparatione humorum, ac vacuatione, ideo paulo prolixius ſententiam excellentiſſimi MONTANI recenſui, quia & multi ſentiunt aliter: vere ne an falſe, aliorum ſit iudicium. Et in curatione omnium morborum, vt vocant, materialiũ, deniq; in lectione

Aphorismorum Hippocratis, quę omnibus in curatione versantibus tanquam lumen quoddam præluce-re debent, plurimum, rectam de his sententiam tenere, refert. Nam mor bis qui oriuntur ab auctis atque cor-ruptis humorib. & quos natura suo impetu (ῥοπὴν Græci vocant) non cu-rat, magno cum ægrotantium peri-culo medentur illi, quibus hæc peni-tus non sunt cognita atque perspe-cta. Ac de talibus medicis vere dici-tur, plus esse periculi à Medico, quã à morbo. Valde itaque quorundam impiam audaciam miror; qui cum aliquot recentes libellos degustarũt totius vero doctrinæ Medicæ ne vm-bram quidem viderunt: sine metho-do, sine ratione Medicinam, veluti rem non magni momenti, exercent: & posteaquam in variis artibus sunt versati, hanc denique sibi tanquam suam arripiunt, quam nunquam didicerunt: neque præstantes artifi-ces, quorum exemplum tuto sequi possint, viderunt. Nam de iis qui nul-
la li-

la liberali doctrina instituti, sed in tonstrinis aut apud seplasiarios artẽ didicerunt, quiq; in maximis rebuspub, sese ostentant, nihil nunc dico: cum non verba illis virtutem addãt, nec scriptis, verum suppliciis meritis sint castigandi. Sed ad institutũ redeo: & studiosos rei Medicæ diligenter, quantum possum, adhortor, vt primum rectissima quam paucissimis cognoscere, eaque diligenter lectione veterum augere, & sibi certa atque familiaria facere studeant. Deinde cogitent illud, quod Galenus in consilio puero Epileptico dato, de Methodo sua curatiua monet: Non cuilibet ex medicorũ cœtu e- „ am vsui esse posse, meque his aliquid „ adiumenti mediocribus ingeniis ad „ ferre voluisse sibi persuadeant. Ad te „ vero, clarissime IOANNES BAPTISTA HEINCELI, hæc mea Montanica mitto, vt, cum tu atque frater tuus PAVLVS HEINCELIVS, nõ solũ liberaliter mea studia iuueritis: verũ amplissimos viros, D. IOANNEM PAVLVM & D. IOANNEM

HEINRICVM HERVVARTOS Patricios Auguſtanos, affines tuos, mihi patronos ſtudiorum meorum conciliaueritis, quorum beneficio contingit mihi audire excellentiſſimum MONTANVM, & de ſtudiis cum doctiſſimis viris in Italia multa familiariter conferre: vobis quoque artis Medicæ ſtudioſi mecum gratias agant, & vos omnium amore & beneuolentia dignos ament, ſi quibus, forte iſta grata atque vtilia futura ſunt. Spero autem fore plurimis, qui doctrinæ MONTANI atque GALENI ſunt ſtudioſi, & totum ſimulachrum Methodi medendi abſolutum in pluribus libris à Galeno conſcriptis intueri cupiunt, hanc rudem delineationem acceptiſſimam: & ex illa plus verę vtilitatis perceptu ros, quam ex compendiis de dictis & ſententiis Medicorum Græcorum aut Arabum conflatis: de quibus veriſſime dicebat clariſſimus ANDREAS VESALIVS, cum præſtantiſſimus vir WOLFGANGVS HERWART, me

me illi communem amicũ faceret, Compendia esse dispendia. Sed hoc non arroganter ad meum iudicium reuoco, nec vllius studium in rem literariam collatum improbo. Id vnum opto, vt rectissima plurimi discant: & tu clarissime HEINCELI cognoscas, me, id quod sum, memorem atque gratum, & vestri esse studiosissimum. Bene vale, Vratislauiæ, Mense Febr.

Anno 1554.



METHODVS THERAPEVTICA EX SENTENtia Galeni & Ioannis Baptistæ Montani, ſcripta per Ioannem Cratonem Medicum olim in aula Cæſarea primarium.



BONI alicuius retinendi vel conſequendi gratia, omnem actionem ſuſcipi atque procedere conſtat. Illud vero bonum, propter quod medicus agit, *Sanitatem* appellamus. Atque hæc finis Medicinæ eſt. Sicut autem, dum finem propoſitum habemus, ad eum omnia referimus, atque hoc modo Methodo reſolutiua procedimus: ita cum rationem agẽdi aliquid ordine, aut perueniendi ad alicuius rei cognitionem integram tradimus ea quæ vltimo ſeſe in cogitatione de fine obtulerunt, conſideramus, & inde vel actiones ordimur, vel diſcendi modum tyronib. præſcribimus, Methodus cõpoſitiua appellatur. Nã nõ ſolũ in diſcendo, verũ in agẽdo quoq; Medicus ratione certa atq; methodo vti debet: & ꝙ vltimũ in cognitione fuerit, illud

illud primũ in actione aggredi. Vt in dolore podagrico, finis curationis est, vt remoueatur dolor. Hic vero nõ potest remoueri nisi ablata materia quæ affluxit, & dolorẽ facit, operã demus ne alia affluãt. Alia aũt affluent, nisi roborabuntur membra, & euacuetur totum corpus. Ergo euacuandum totũ, & roboranda membra. Sed quia materia crassa prius incidenda, quam euacuanda: ideo à coctione, vel præparatione ordiendum est. Verum hæc deinceps explicacabimus: nunc ad rem perueniamus.

In arte Medica finis generalis est sanitas, quæ vel præsens conseruatur, vel absens acquiritur. Ideo artis Medicæ sunt duæ summæ differentiæ, ὑγιεινή, id est, salubris, θεραπευτική. ὑγιεινῆς quatuor sunt fines, & tot etiam differentiæ: conseruare. corrigere, reficere, & præseruare. Inde φυλακτική, ἐπανορθωτική, ἀναληπτική, καὶ προφυλακτική: Has partes videre licet in Methodo Montani, quæ à Caio edita est, mediocriter explicatas.

Artis Medicæ duæ summæ differentiæ.

ὑγιεινῆς fines ac differentiæ.

Θεραπευτική, id est curatrix, habet suos ordines. nam distinctio eius in χειρουργικήν, διαιτητικήν, φαρμακευτικήν, à modo operandi, non à fine sumitur. Est autẽ Curatrix, ars recta ratione profligandi id quod est præter naturam: videlicet morbum, eius causam, & symptoma, Recta vero ratio nititur scopis, & indi-

cationibus curatiuis. atque hic differentia inter ſcopum, finẽ, & indicationem obſeruetur.

Finis. Finis, eſt terminus, in quo acquieſcit omnis actio.

Scopus. Scopus, eſt terminus, in quem dirigitur actio.

Indicatio. Indicatio, eſt ratio agendi, quam oſtendit ſpeculatio ſcopi. vt finis in arte Medica eſt, fruitio ſanitatis: ſcopus, eſt ſanitas. de qua cum cogito, animaduerto ſanitatẽ eſſe ſymmetriam, vnde actiones proueniunt ſecundum naturã hinc ex natura rei naſcitur prima indicatio, quid ſit agendum: videlicet quod vel ſanitas ſit conſeruanda, vel recuperãda, ſublato eo quod præter naturã eſt.

Indicatio vnde ſumatur. Indicatio igitur eſt, ratio dirigendi actionẽ, ſumpta à natura ſcopi, ſiue ex eius contemplatione orta. Qualis aũt eſt ſcopus, talis eſt indicatio. Si ſcop⁹ generalis & cõmunis, indicatio erit generalis & cõmunis. Si ſcop⁹ ſimplex, indicatio erit ſimplex.

Curatricis ſcopus generalis. Vt ſcop⁹ generalis in curatrice ẽ, affectio præter naturã. Ergo generalis erit indicatio: Quod ẽ p̃ter naturã hoc eſt auferendũ. Diſtinguo itaq; generalẽ ſcopũ in morbum, cauſam, & ſymptomata. Rurſus morbũ vel in partibus ſimplicibus, ſeu in complexione, aut in organicis, aut in vtriſq; communis, vel ſolutionẽ continui.

Parti-

Partium ſimplicium, aut ſola intemperies vel calida, frigida, humida, ſicca: vel ex his coniugata; aut cum affluxu materiæ.

Partium organicarum, aut eſt indecens conformatio, vel ſecundum figuram, vel ſuperficiem, vel meatum, vel cauitatem: aut magnitudo, aut numerus, aut ſitus.

Magnitudo aut aucta in craſſitudinẽ, vel longitudinem, vel latitudinẽ: aut diminuta vel in gracilitatẽ, vel breuitatẽ, vel anguſtiã.

Numerus vel excedens, vt ſextus digitus: vel deficiens, vt monoculus.

Situs, vt translatio indecens partium à loco proprio: vt eſſe luſcum, vel ſi quid luxatum, aut alia quauis ratione loco motum.

Morbus communis ſimplicibus & organicis partibus, eſt ſoluta vnitas: vt vlcus. Hoc modo diſtincto generali ſcopo, videlicet affectione præter naturam, habeo ſcopos diſtinctos: vnde totidem diſtinctæ oriuntur indicationes.

Sed vt ad totam curatricem artem rectius ſtudioſi perducantur, hæc obſeruent. Primũ, tria eſſe circa quæ omnis medẽdi opera verſatur: Morbus depellitur: ſubiectum, videlicet corpus, reſtituitur: natura tutatur. Deinde axiomata artis Medicæ in curando:

I. Contraria contrariis curantur ſemper. *Axiomata medendi.*
II. Similia ſimilibus conſeruantur.
III. Quæcunque ſunt in corpore præter natu-

naturam, debent remoueri: quæ ſecundum naturam, conſeruari.
IIII. Lapſuum quidam ſunt magni, quidam parui.
V. Paruum paruo curatur, & alteratur.
VI. Natura eſt curatrix morborum, Medicus miniſter naturæ.
VII. Affectiones & diſpoſitiones magnæ, magnas cauſas habent.
VIII. Morbi diſproportionati, proprio temperamento, difficillimi.
IX. Morbi ſemper curandi, non ſymptomata. aliquando autem ſymptomata trahunt ad ſe curam, cum habent rationem cauſæ: & periculum eſt, ne grauiorem morbum faciant. vt febres aliquando non ſunt morbi, ſed accidentia: & negliguntur propterea, ac curãtur morbi. vt in Pleuritide, neglecta febre, curatur inflammatio.
X. Illud membrum ſanum eſt, cuius operationes ſunt ſanæ. Ideo quando ſcire volumus, vtrum membrum ſit primigenio affectu læſum, an per conſenſum, videndę ſũt eius operationes. quæ ſi conſtant, membrũ non primigenio affectu laborat.
XI. In omni curatione deducenda ſunt ſymptomata ad morbum, & morbus ad ſuas cauſas.

Tertio, qua ratione in morbi cognitionẽ deueniendum. Primo videndum, an ſit vnus

nus

nus vel plures morbi, & an per se aut per cõ sẽsũ. Id ex iis quæ monuimus patet. Spectare enim debemus, in quo genere morboũ reperiatur; videlicet, an in temperatura, an in compositione, an vero in continui solutione. Sed hæc facile diligenti medico sese offerunt. An vero morbus per se aut per consensum adsit, indicant actiones læsæ, de quibus in Methodo vniuersali Montani. Secundo, signa nos in cognitionem morbi deducunt. Sunt autem quinque fontes signorum. Primo, actio læsa: hæc ostendit morbum, & locum affectum. Secundo, egredientia, quæ sunt secundum naturam, vel præter naturam: vt vrinæ, fèces, sudores. Tertio, dolores: vbi enim dolor, ibi morbus. Quarto, tumores: nam vbi tumor, ibi ægritudo. Quinto, propria accidentia quæ solent consequi malum: vt tussis significat ægritudinem in thorace. Sed de signis explicatam habetis doctrinam in Idea Hippocratica. Tertio: Natura morbi cognoscitur penes quatuor: Essentiam, Motum, Mores, Tempus.

Essentia morbi cognoscitur per causas: cognita essentia, & symptomata vel accidẽtia cognoscimus. Nã symptomata sequũtur morbos, tanquam causa effectum. Hinc deinde insurgunt quinque indicationes operandi, seu scopi: Quid, quantum, quomodo, quando, vbi. Sed de his deinceps.

Cauſæ autem, per quas eſſentiam morbi inueſtigamus, ſunt duplices: quædam intrinſecæ, quædã extrinſecæ. Intrinſecæ ſũt, cauſæ materiales morborum in ipſo corpore natę. Extrinſecę ſũt duplices, προκαταρκτικαὶ & προηγούμεναι. Procatarcticæ ſũt cauſæ, ſimpliciter extrinſecus aduenientes: vt calor ſolis, percuſſio, vel plaga, &c. προηγούμεναι, ſeu antecedentes, etſi ſunt intra corpus, tamen quod ad eſſentiam morbi extrinſecæ ſunt: vt humores. non enim ſemper humor efficiens cauſa morbi dici poteſt, niſi quatenus efficit morbum. Sic humor nondum putridus, non eſt efficiens febris. Cum autem humor iam eſt putridus factus, appellamus cauſam materialem: & nonnunquam cauſam coniunctam. nam cauſa coniuncta refertur ad materialem: & dicitur coniuncta, quia poſita iſta, ponitur morbus: ablata iſta, aufertur morbus.

Vt autẽ exemplũ, quod proponemus à tyronibus rectius intelligatur, monendi ſunt: Quod omnis febris habeat propriam formam: videlicet, vt cor calefiat, & calor naturalis augeatur, & in igneũ conuertatur. Alius autẽ naturalis calor eſt infuſus, alius congenitus, vel complantatus mẽbro. Complãtatus dicitur, qui eſt in quolibet mẽbro, ita vt operãte eo perficiat oẽs naturales operationes. Infuſus, ꝗ ex corde in omnia mẽbra

demit-

demittitur, & qui excitat & auget calorem complantatum: & de hoc loquuntur Medici in febribus.

Febres sunt duplices: Diariæ, & Putridæ. Diariæ habent causas procatarcticas externas: vt calorem solis, vel defatigationẽ, iracundiam, ingurgitationem. illæ vt plurimũ 24. horis finiuntur, vel fiunt putridæ febres. *Febrium diuisio. Diaria.*

Putridæ febres duplices, continuæ aut intermittentes. Continuæ sunt, quãdo humor aliquis vel vnus, vel omnes putrescunt intra venas. tum enim perpetuo vapor putrid⁹ defertur ad cor, & cõtinuatio ẽ morbi. *Putrida. Continua.*

Febres intermittentes, uel interpolatæ, sunt, quando materia putrescit extra venas magnas. vt cum pituita putrescit extra venas magnas, generatur febris phlegmatica, idest quotidiana: cum bilis, febris tertiana: cũ melancholia, febris quartana. *Intermittẽtes.*

De febre sanguinea oritur quæstio singularis, quæ illis qui in arte progressum fecerunt, est explicãda, & de hac diligentius cogitandũ. Cur autẽ in febribus interpolatis sint certæ periodi effumationis putridi vaporis, qui petit cor, vt vna hora eleuẽtur vapores, alia nõ, à Medicis nondum est inuentũ: oportetq; hic, sicut in aliis multis, admirari secreta naturæ. Nunc ad exemplum deueniamus. *Sanguinea febris.*

In febre tertiana humor biliosus est antecedẽs, efficiẽs, materialis, & coniũcta causa: *Tertiana*

& ſecundum varias diſpoſitiones & tempora, ſortitur varia nomina.

Cum enim nondũ putruit, ſed fit ebullitio, & præparatio ad putredinem, tum appellatur cauſa antecedens. Cum putreſcit, ita vt efficiat febrim, dicimus cauſam efficientem. Cũm autem iam actu fecit morbũ, & non amplius facit, cauſa materialis siue cõiuncta appellatur. Hæc declarat curatio, in qua Medicus ſemper naturam ducem ſequi debet. Vt in tertiana, primo paroxyſmo natura per vomitum expellit materiam bilioſam, nondum putridam: hæc nõ dicitur cauſa coniuncta, vel efficiens tertianæ, ſed antecedens, cui debetur præſeruatio. Natura igitur præſeruationi intenta, expellit aliquid, vt reliquum facilius euincat. Id niſi perficiat natura, fit deinde ebullitio, & materia partim putreſcit: tunc bilioſus iſte humor ſemiputridus: efficiens cauſa eſt tertianæ, ſtudetque natura partim præſeruationi, partim curationi, ac oſtendit indicationem mixtam. Cum autem plane putreſcit, dicitur cauſa coniuncta: & tunc ſi quid facit natura, expellit per ſudorem. Itaque bilioſæ iſtæ febres, curantur & terminantur per ſudorem.

Natura ſemper in curatione ſequenda.

Ex his Medico, miniſtro naturæ, perſpicuum eſt, in curatione febris tertianæ, tres eſſe indicationes; duas ſimplices, & vnam com-

Tertianæ curandæ tres indicationes.

compositam. Indicatio de tollenda febre, quæ à causa coniuncta vel materiali sumitur: videlicet vt tollatur materia actu putrida, à qua vapores putridi ascendunt ad cor, est simplex. Indicatio altera, quæ indicat esse tollendos humores, partim putridos, & à causa efficiente sumitur, ac cauendum monet ne amplius putrescant, est composita: partim enim præseruat, scilicet ne humores illi amplius putrescant: partim curat. Tertia indicatio etiam est simplex, quæ docet tollendam esse materiam ne putrescat: & naturam leuandam onere, vt superet reliquum. Nunquam enim humor putrescere potest, nisi abundet ita, vt à natura euinci nequeat. Cum autem tollitur humoris copia; primo corpus fit rarum: ex raritate sequitur transpiratio, & euëratio: ita tollitur obstructio: ablata obstructione, prohibetur putredo. Igitur ab hac incipiendum: deinde peruemendum ad causam efficientem: tertio ad causam coniunctam, in qua terminatur curatio. "Quod enim primum est in cognitione, vltimum est in actione: & quod primum in actione, vltimum in cognitione, vt principio monuimus."

Humor autem ille qui habet rationem antecedentis, & indicat præseruationem, si distat à natura sanguinis, tollendus est pharmaco: ita tamen, vt (quod postea dicemus)

 cemus)

cemus) prius præparetur ac concoquatur. Si enim propinquus naturæ ſanguinis, per miſſionem ſanguinis euacuandus. Sed in miſſione ſanguinis tria obſeruanda. Primo, an morbus magnus. Secundo, an ætas conueniens. Tertio, an vires validæ. Cum enim vires non conſtant, prohibetur miſſio ſanguinis: ac in hoc caſu vtendum eſt ἐπικρατεῖ, id eſt paululum ſiue per miſſionem ſanguinis, ſiue per pharmacū educendū, & rurſus roborandum. Virtus enim ſemper indicat ſui conſeruationē. Hæc de exemplo, ex quo tota fere doctrina de febrib. elucet. Nunc reliqua, quę ad Methodum curatiuam ſpectare videntur, pertexemus.

In ſanguinis miſsione tria obſeruanda.

Affectio præter naturam in partib. ſimplicib. eſt qualitas, quæ deflectit à ſymmetro: hic eſt ſcopus generalis. Vnde naſcitur indicatio generalis, aſymmetrum eſſe auferendum. Deflectit aūt per exceſſum caloris tantum, vel frigoris tantum, vel humidi tātum, vel ſicci tantum: aut cum affluxu materiæ: aut ſine affluxu materiæ: eaque eſt vel vaporoſa, vel corpulēta. Si deflectit per exceſſum ſolius qualitatis, eſt ſcopus ſimplex, videlicet alterandum per contrariam qualitatem. Si vero deflectat cum affluxu materiæ, indicat eſſe alterandum. Indicatię eſt compoſita, videlicet alterandum eſſe ratione qualitatis, vacuandum vero ratio-

ne ma-

ne materię. Ergo duę indicationes, vacuatio & alteratio. Sic in febrib. putridis dũ illorũ naturã ſpeculamur, inuenimus primum formã, videlicet calorẽ natiuum mutatũ in igneum: materiã, q̃ partim putruit, partim putreſcit, efficientẽ huius putredinis, videlicet obſtructionẽ meatuũ. hinc tres ſcopi ſeſe offerunt, vnde compoſita indicatio: vel potius tres indicationes naſcuntur, videlicet tollendã obſtructionẽ, vel miſſione ſanguinis, quæ rarefecit corpus & aperit, vel medicamẽtis. Materia quæ putruit, indicat cohibitionẽ & immutationem. Immutamus præparando, aut in melius tranſmutando. Atq; hic diligenter animaduertendũ, me de putridis, nõ peſtilentialib. loqui: in quib. caput & ſumma curationis eſt, exiccatio, & cordis corroboratio, &c. Videndum autẽ eſt Medico, quæ præparationem poſſint adiuuare. Iuuant, quæ materiã craſſã attenuant, tenuẽ attemperãt, tenacẽ abſtergunt. Hac ratione aperiuntur meatus. aperiunt. n. ea, quæ attenuant, &c. & ſic obſtructio tollitur. Materia autem indicat coctionem eius quæ ad putredinem apta eſt: aut vacuationem, quæ putruit. Forma indicat eſſe alterandum: videlicet, vt in febre calor refrigeretur, & exiccata humectentur: q̃ non ſolũ medicamentis, ſed tota victus ratione curandũ eſt. Cõſiſtit n. magna pars curationis, in victus ratione:

Præparationem adiuuãtia.

Victus ratio.

quæ neſcio quomodo hoc tempore nimi um negligitur. De ea vero nunc præcept dare, non eſt noſtri inſtituti. Sed cum ſumma curationis fere in coctione ſeu præparatione humorum, & eorum vacuatione conſiſtat, de iis nunc integram doctrinam Methodo trademus.

De coctione & præparatione humorum.

Prius autẽ de coctione atque præparatione humorum agendum eſt. Nam omni euacuatio ante coctionem, ſiue à natura ſiue medicamento fiat, peſſima cenſetur Hoc probatur primo, à ſigno: ſecundo, à cauſa: tertio, ab autoritate. Signum declarat Galen. in Comment. ſuper Aphoriſ. 4 part. 22. Aphoriſ. Inchoantib. morbis, ſi atra bilis ſupra vel infra exiuit, letale eſt. vbi Gal. incommoda euacuationis ante coctionem recenſet. Natura enim cogitur euacuare, vel propter malitiam & multitudinem humoris, vel putredinem inſignem vel humoris mordicationem.

A cauſa, cum materia non cocta, non maturata non adæquata expellitur. Si humores ſunt acres, excoriant & erodunt cumque viæ non præparatæ adhæret, & inflammationes parit; ſi materia craſſa, & tormina ſequuntur.

Ab auctoritate, Gal. oſtendit in lib. Quo oporteat purgare, & in Aphor. Concocta medicari oportet. Dum vero expectamus

cocti-

coctionem, natura primo præparat, secundo concoquit, tertio separat vtile ab inutili: & deinceps insurgit ad expulsionem nociui & inutilis.

Expectanda autem est concoctio non tantum in chronicis, verum etiam in acutis ægritudinibus. In chronicis autẽ semper, in acutis non semper.

Est autem concoctio, adæquatio humidi cum sicco, per operationem caloris innati. Hic vides, efficiens esse calorem naturalem: subiectum, humidum cum sicco: terminũ, adæquationem illius quod coquitur. *Concoctio quid.*

Huius quasi species est maturatio. nam in hac quoque efficiens calor naturalis, subiectum, humidum cum sicco. sed adæquatio non est ea quæ in coctione, etiamsi similitudinem quandam habeat.

Præparatio autem diuerso modo fit. Nã quod subtile est, fit crassum: quod crassum, subtiliatur: quod viscidum & tenax, inciditur. Non recte igitur faciunt, qui miscent concoctionem & maturationem cum præparatione. Non tantum autem materia, sed & viæ sunt præparandæ: vt in missione sanguinis expurgamus leui pharmaco ante missionem, primas venas, ne materia cruda trahatur vel in epar, vel in venas.

Vbi autem concoquere non licet, præparandum saltem est ante euacuationem: vt

cum vtimur aperientibus& attenuantibus, ſicut aniſo, hyſopo, &c. non concoquimus, ſed præparamus.

Cum cōtemperamus calorem naturalē, iuuamus coctionem, vel concoquimus: etiamſi (vt dixi) concoquere proprium naturæ ſit, quam Medicus ſyrupis & aliis modis iuuat, calorē videlicet cōtemperando. Concoctio vero ſemper procedit ingroſſando, ita vt quod ſubtilius eſt, exeat per euaporationem: & ſeparando vtile ab inutili, vt in humore bilioſo, cuius acrimonia illa erodens, fœtor & feruor, contemperanda ſunt. Præparatio attenuando & incidendo procedit. Ideo concoctio non fit niſi à calore naturali, etiamſi calor extraneus temperatus poſſit iuuare coctionem. Verum ſecundum ſubiecti varietatem & diuerſitatem variantur coctiones.

Si ſubiectum, in quod agit calor naturalis, eſt ſecundum naturam, tum dicitur concoctio proprie. Si præter naturam, metaphorica: hæc ſemper procedit ingroſſando, vt cum tenuem humorem delabentem in thoracem ingroſſamus. Hac coctione coquuntur vrinæ. Item, pituita & bilis rediguntur ad benignum: vt in pituita hæc concoctio aqueum reſoluit, & reliquum in benignū redigit, fœtidum expellit. Sic in bile, quod nimis ſubtile eſt, redigit ad quandam

æqualitatē moderatā: vnde ſemper aliquo modo craſſeſit iſta concoctione, vt bilis cocta non eſt ita acris, &c. Hæc habet aliquam ſimilitudinem cum vera coctione: ſic vrinæ crudæ & ſubtiles craſſeſiunt.

Tertia eſt Analogica, quæ dicitur ſuppuratio, quæ fit à calore innato, & ad proprie dictam referēda eſt. nam etſi ad ſuppurationem calida & humida foris adhibentur: tamen calor extrinſecus non cōcoquit, niſi identificatus, vt ita loquar, cum calore naturali. Suppuratio autem aſſimilatur veræ coctioni, quia terminatur ad aliquid, quod non omnino eſt præter naturam. *Vt eſt videre in libello Mōtani de Vrinis.*

Vt enim proprie dicta concoctio ſanguinem in nutrimentum vertit, & ſeparat bonum à malo: ſic in ſuppuratione, calor naturalis ſemper eligit quod eſt melius: & ad meliorem formam deducit, conaturq; humorem illum putridum mutare & vertere in ſubſtantiam membri, ſed non poteſt. Ideoque dat optimam formam quam poteſt, & pus efficit: tollit fœtorem, & dat formam partim naturalem, partim non.

Si vero augeretur calor, & intenſus fieret, tum ſequeretur putredo. Ita & hæc coctio procedit ingroſſando, & ſeparando malum, videlicet ichores.

Præparatio autem proprie dicta, ſemper attenuando ꝓcedit: quia nō debetur humo-

ribus ſubtilib. ſed materiæ craſſæ tantū & fit à calore naturali, vel extraneo. Semper aūt materia craſſa in purgantib. p ventrem eſt at tenuanda, ſiue cocta, ſiue nō: quia quo erit tenuior, tanto facilius trahetur à pharmaco. Sæpe autem, vt in acutis, ſic neq; chronicis, ſemper expectamus coctionē: etiamſi Gal. ſemper in Chronicis expectandā cenſeat, ſcilicet tum, cū ſequitur maius nocumentū ex omiſſa euacuatione, quam ſi purgemus. In acutis autem, quando materia turget, id eſt, eſt furioſa, neſcit ſtare in vno loco, ac in eodē etiam loco modo huc modo illuc fertur, nō eſt expectanda cōcoctio: ſed humores iſti, facta leui præparatione, euacuandi.

Sic in morbo chronico, ſi virtus non poſſit cōſtare diu, donec fiat concoctio, etiamſi materia frigida & craſſa, tamen euacuandū. Quia niſi euacuetur, licet non ſit furioſa, virtutem opprimit.

Duo itaque nobis permittunt ante coctionem euacuare: Primo, quando materia eſt furioſa: ſecundo, quando materia ante tempus coctionis virtutē oppreſſura videtur. *Concoquere.* Concoquimus itaque cum vtile ab inutili ſeparatur. quod fit, calore naturali *Præparare.* deducto ad moderationē. Præparamus, quando humores craſſos incidimus, viſcidum abſtergimus & attenuamus, ſubtile ad moderatam ſubſtantiam deducimus.

DE

DE VACVATIONE.

NVNC ad euacuationem pergamus. Nō est dubium, euacuationem tantum deberi morbo materiali. Materia autem replens nō est vna, ſed duplex in genere. quædam replet quo ad vaſa, quædam quo ad virtutem vel vires. Repletio ſeu plenitudo, quæ à Græcis πληθῶρα dicitur, eſt, quando humores omnes æqualitate iuſtitiæ augentur in venis: & tantum quantitas, non qualitas peccat. Alia plenitudo vel repletio eſt quo ad virtutem, quando non vaſa repleta ſunt ſecundum molem, ſed corruptela accidit ratione acrimoniæ, aut putredinis, vt tota ſubſtantia aduerſetur calori naturali, & ſpiritibus ac virtuti: huic debetur euacuatio.

Materia replens, duplex.

Repletio.

Ac hic monendi ſunt tyrones de errore Medicorum, qui euacuationem eradicatiuã aliam dicunt, aliam minoratiuam. De euacuatione eradicatiua, neque apud Gal. neq; Hip. aut veteres Medicos quicquam ſcriptum, verũ omnes minoratiua vſos conſtat. Eradicatiuam autem illam quæ fit vſque ad ſyncopen, nō admittebant, niſi in tribus caſibus: ſcilicet primo, quando eſt febris ardens: ſecundo, quando maximi dolores, & vrgentiſſimi: tertio, quando inflammatiō in viſceribus. Et iſta eradicatiua non fit per

Vacuationis eradicatiuæ vſus.

pharmacum, ſed phlebotomiam.

Vacuatio quid. Vacuatio autem eſt, humoris peccantis in corpore, ſeu corrupti exactio. Itaq; omnis vacuatio quaſi ſiccius corp⁹ reddit, præſertim ea quæ fit per pharmacum. Eſt autem duplex euacuatio: generalis, quæ ab vniuerſo corpore educit, & humores pellit: particularis, quæ certam aliquam partem ſuperfluo aliquo excremento atque humore leuat. Vnuerſalis rurſus, ſimplex aut compoſita: ſimplex, quæ totum corpus vacuat, vt ſectio venæ: compoſita, cum reuellimus, vel deriuamus.

Vacuatio duplex.

Reuulſio. Eſt vero reuulſio, detractio humoris in contrarium locum ab affecto, in eũm finẽ, vt curſum materiæ fluentis impediat, ne in partes vicinas incommode humor, aut locũ male affectum defluat. Fit itaque reuulſio vehementi motu ad partes diſtantes, contrariasue parti affectæ: ſeruata quoad fieri poteſt, vbi opus eſt, rectitudine & conſenſu ductuum & viarum: vt genu inflammato, vena exterior cubiti ſecatur. Sic in immoderato ſanguinis fluxu nariũ, cucurbitula hypochondriis admota fluxum ſiſtit, è dextra nare epàti, è ſiniſtra ſpleni.

Sic capite affecto, aluus cienda: partibus inferioribus affectis, vomitus mouendus. Vt podagrici & iſchiatici per vomitum purgandi.

Porro

Porro reuulſio ſimplex fit dupliciter: vel euacuando, vel violenter trahendo.

Euacuamus præcipue per miſſionem ſanguinis, ac ſic ratione vacui reuellimus, etiamſi vacuum non trahat, obſeruata rectitudine ductuum atque defluxus. Eſt enim rectitudo, vt hoc nunc moneam, duplex: vel defluxus ſeu ductus, vt quando aqua fluit ea via, q̃ illi eſt cõmodiſſima. Et hanc rectitudinem Medici præcipue obſeruant, à natura moniti, quæ eam ſemper ſequitur: vt cum varices curant furorem, & melancholiam. De hac etiam loquitur Hippocrates, cum dixit κατ' ἴξιν eſſe reuellendum. Ad hanc quoque ductuum affinitas, vel conſenſus, quam colligantiam vocant, referatur. Qualis eſt inter concauum epatis & inteſtini, & gibbam partem epatis, ac meatus vrinarios: item rectitudo fibrarum. *Rectitudo duplex.*

Altera eſt rectitudo diametri, ſeu ſitus, q̃ nõ ſemper ſeruatur à Medicis: de qua paulo poſt dicemus: Reuulſio per violentam attractionem fit calore, vel dolore, vel ambobus ſimul: vt dum cucurbitulas applicamus, primo fit dolor, deinde calefit locus. Huc referunt clyſteria acria, etiamſi & ea ratione vacui reuellunt: & ligaturæ, quæ dolorẽ inferũt. In hac, quantũ fieri poteſt, rectitudo lineæ vel diametri obſeruetur. Sumitur

Reuulsio per diametrum triplex.

mitur autem diameter pro recta mensura, siue in longitudinẽ, siue latitudinem: vt secundum longitudinem infra supraque, secundum latitudinem hinc inde, secundum altitudinem inde retro, id Gal. ἀντίσπασιν vocat. Secundum longitudinem: vt oculis lippientibus clysteria reuellunt, 6. Aphoris. 17. & immoderatus fluxus mensium, affixis ad mammas cucurbitulis reuellitur. Secundũ latitudinem: vt affecta dextra manu phlegmone, secta vena cubiti sinistri reuellit. Secundum altitudinem: vt in doloribus oculorum, curcurbitula occipitio affixa, vt docet Gal. 5. Aphoris. 68. cum inflammatio posteriorem partem capitis occupat, vena frõtis secta reuellit. Est autem integra diameter apud Medicos, ab vno extremo ad aliud recta linea: vt à summo capite ad pedes. Dimidiata est, cum à brachio ad pedem.

Diameter integra, dimidiata.

Quærunt autem Medici recentiores, nõ satis vel seipsos intelligentes, an per duos diametros faciẽda sit reuulsio? Et responsio simplex est, quod non. Quia in reuulsione quæ euacuando fit, in qua commoditas ductuũ spectatur, non conceditur. In reuulsione autem violenta, vbi recta linea seruatur, multo minus: propterea quod lenta & tarda futura esset reuulsio. Vt missio sanguinis, dextro latere pleuritide affecto, ex sinistro pede nullum remedium affert. Itaque

Reuulsio nõ per duas diametros facienda.

auto-

autoritate Gal. atque Hipp. dextro latere pleuritide affecto, non trahimus sanguiné à pede etiam eiusdem lateris, vt Arabes volunt, sed ex affecti lateris vena brachii sanguinem mittimus, vt nobis autores sunt Hippocrates & Galenus, 2. de Victus ratione in morbis acutis. Et hanc reuulsioné, in qua partim reuellimus, partim deriuamus, mixtam appellant. Est autem diligenter obseruandum, primo, ne in reuulsione materia vnquam ducatur per membrum nobile: vt Gal. & Hipp. 2. de Victus ratione, cum dolor in pleuritide tendit ad hypochondria, non mittendum sanguinem, sed pharmaco purgandum censet. Ea enim inflammatio est in costis inferioribus. Costæ auté inferiores nutriuntur à vena adnata ventriculo. Ideoque sanguinem per epar & cor traheremus: quod non est faciendum. Sic pede dextro affecto, si ex basilica dextri brachii mittimus, primo per epar, deinde dextrum cordis ventriculi reuellimus: & quidem sursum, cum maiori periculo, deorsum autem cum minori, ac potius nullo. Mittimus igitur, exemplo Galeni, 13. Methodi, dextro pede affecto, ex sinistro, etiamsi non sit rectus & facilis progressus, ne materia transeat per membrum nobile. Secundo obseruant, vtrum morbus sit magnus, vel paruus, an partim factus,

Mixta reuulsio.

factus, partim fiat, an vero futurus. Si nondum incœpit, magnum tamen morbum timemus, integra diametro vtimur: vt cum vel propter dolorem capitis, vel vertiginem, apoplexiã metuimus, cauteria in crure facimus. Sic 13 Meth. Galenus, manu laborante crura ſcarificare præcipit. Si vero magnus eſt, & iam incipit, vt in pleuritide, per dimidiatam diametrũ reuellimus: partim deriuamus, vt ſæpe repetitum eſt. Et ſeruatur tum quidem debitus progreſſus fibrarum. Quia fibræ ex quibus conſtant venæ, & per quas fit attractio, in longitudinem recte progrediuntur, à dextro latere in dextrum brachium, non in ſiniſtrum. Hoc itaque ſpectandum eſt, non tantum diſtantia, quæ æqualis fere à vena concaua, & fibras obſeruandas eſſe præcipue cenſet Hippocrates, cum κατ' ἴξιν monet eſſe reuellendum. Idem facit natura, vt monuimus antea. Nã omnis motus naturalis fit per fibras, quarum rectæ attrahunt, tranſuerſæ expellunt, obliquæ retinent.

Deriuatio. Deriuatio vero, eſt motus ſeu ductus humoris incumbentis in aliquam partem ad loca vicina. *Vicinus locus qui.* Vicinum autem dicimus, proximum loco affecto: vt in affectibus renum & veſicæ, deriuamus per aluum. In angina vero, inflammatis muſculis gulæ, ſecamus venam ſub lingua, aut humerariam: In oculorum, faucium, aurium affectionibus, ad

nares. In affectibus intestinorum, per vrinam: in vteri, per vesicam & in testina. Inflãmationibus vero inchoantibus, vtimur reuulsione: ipsis vigentibus, deriuatione. Deriuationi vero locus non est in corpore repleto, & quando materia multa est in toto: sed cũ redundãtia humorũ sublata est ex toto, aut repletio tantũ est in vna parte fixa.

Ex his perspicuum est, Medicum debere attente considerare causam morbi tripliciter. Primo, prout factura est morbum: & tũ vtendũ est euacuatione, vel simplici reuulsione, seruata integra diametro, si morbus non est magnus, vt Gal. 9. Meth. cum in curatione synochæ extrahit sanguinem vsque ad deliquium animæ: quia maxima est necessitas, & virtus fortis. Secundo, quando causa fecit morbum. hic tantum virtuti attendẽdum, & imitandũ exẽplum 11. Meth. cũ Gal. curat morbum factũ. Tertio, quando partim fecit, partim factura ẽ: vt in pleurisi, cum materia partim fluxit, partim est fluxura, mittendus est sanguis, vt monuimus, ex vena eiusdem lateris: & partim reuellendum, partim deriuandum. De hoc autem satis supra diximus.

Causa morbi tripliciter consideranda.

Nunc ad vacuationem reuertamur. Fit ea triplici modo, per Diætam, chirurgiam, & pharmaciam. Per diætam, vt tenui victu, de quo alias Montani cogitationes proferemus. Cũ vero & pharmaco & sectione venæ simul

Vacuatio triplex.

vtendum est (id quod fit, cum & plenitudo & cacochymia est in corpore, & atrocia sunt symptomata) primum sanguis ducatur, deinde pharmacum propinetur. Sed sanguis parce mittendus est: quemadmodum etiā in pituitosa plenitudine, quæ phlebotomiam maxime auersatur. Humoribus vero ex æquo auctis, debetur phlebotomia. Sed si sola qualitas humoris intendatur, alterandum atque contemperandum. Porro missio sanguinis debetur plenitudini, quo ad vasa, siue sit ea in toto, siue in aliqua parte. Plenitudo autem quo ad vires, subitā missionem sanguinis prohibet: & placide agēdū monet, ne vires deiiciantur, quæ in omnibus morbis diligenter sunt considerandæ. Requiritur igitur sectio venæ in omni phlegmone tam interna quam externa, in febribus putridis, & intermittentibus, &c.

In febre vero exquisite tertiana, quia multa bilis, paucus vero sanguis, non temere est mittendus, ne bilis feruentior & vires infirmæ reddantur. Quo magis enim humor ad sanguinem declinat, eique commixtus est, eo rectius phlebotomia detrahitur. Quando vero multum differt à sanguine, nihil est mittendum. Bilis autem sanguini aduersissima est. Sed aliquando in morbis frigidis dum cacochymia medicamēto propter nimiam

miam obstructionem venarum mesaraicarum, & humoris crassitiem, detrahi non potest, & pars à viis purgaticiis longe distat, sanguinem propter magnitudinem morbi & symptomatum mittimus. Nam duæ sunt præcipuæ indicationes mittendi sanguinis: magnitudo morbi præsens vel futura; & magnitudo virium. Atque hæ indicationes semper sunt complicandæ.

Sanguinis mittēdi duæ indicationes

Porro in missione sanguinis, sicut in vacuatione quæ fit per pharmacum, præparatio quædam præmittenda est, quæ fit per lenitionem ventris, & euacuationem ex primis venis; ne materia contenta in venis mesaraicis, & in stomacho, feratur ad epar, & maiores obstructiones faciat. Et hic Medicinis benedictis vtendum. Item quando humores sunt crudi, pituitosi, vel limosi per adustionem in venis, non temere ante præparationem euacuandi. Sed qualis debeat esse præparatio, & quando, num mittendus sanguis, in quibus morbis, quantum, quo in loco, vide doctiss. scriptum Ioannis Fernelii de Vacuandi ratione.

Præparatio ante vacuationem.

Cacochymiæ vero, cum qua sunt vires infirmæ, & humorum impuritas, non auxiliatur venæ sectio, sed purgatio. Est aūt duplex Cacochymia: vna, cum superuacui humores cumulantur, & proportione sua sanguinem superant: altera, cum iam mani-

Cacochymia duplex.

festa substantiæ humorum est corruptio. Et vtriq; purgatio debetur, quæ fit p pharmacum, semper obseruata regula: Corpora quę purgare volumus, fluida esse facienda: id est humectandas & præparandas vias, atq; humores coquẽdos & præparãdos, vt diximus.

Purgantiũ medicamentorum ratio.

De medicamentis vero purgantibus hoc monendi estis: Omne medicamentum, siue intra corpus sumatur, siue admoueatur, auxilio caloris naturalis in minimas partes, vt in corpus operetur, redigi: ita aut excitetur calor cõplexionalis medicamenti, à calore innato corporis humani, & forma medicamenti in humorem attrahendo agat. Ideo medicamenta quo sunt tenuiora, eo facilius effectiones suas habebunt. His Gal. consentit in primo de Med. simp. facul. cap. 11. & 13. Cum itaque sic ad actum deducuntur, trahunt ad se proprios humores, quemadmodũ Hippo. & Gal. placet. Etiamsi aliis aliter videatur, qui cẽsent, propter similitudinẽ medicamenti & humoris, subtiliores partes medicamenti ire ad humorẽ. Ideoq; soluentibus deferentes quasdam medicinas addunt. Et inde opinionis suæ rationem habent, quod multi, etiamsi non multo post assumptionem medicamentũ euomant, deinceps rectissime purgantur. Sed de hoc disputare, nõ est nostri instituti. Quando vero ii humores euacuantur à medicamẽto, quos non

non educit atq; trahit medicamentum à sua propria forma, sit vt Galen.3. de Fac. Med. meminit, vel propter vasorum imbecillitatem, vel propter osculorum laxitatem, vel ꝓpter nimiã vim medicamenti. Et tũ quidẽ fit superpurgatio. Ac medicamentũ (exẽpli gratia) pituitã purgans, primo eã educit: hãc sequitur bilis, illã atra bilis, vltimo sanguis. *Superpurgatio.*

Apparet itaq; , in errore versari eos, qui semper bilẽ primo purgari tanq̃ humorem subtiliorẽ, censent. Nã in superpurgationb. medicamentũ atrã bilem euacuãs, deinde quoq; flauã petit, postea pituita sequitur, vltimo sanguis. Sic medicina bilẽ vacuans, primo bilẽ & seorsũ humorẽ, postea pituitam, tertio atram bilẽ, & postremo sanguinẽ. His consentit Hippocrates in libello de Natura humana, & Gal. de Purg. medic. facultatibus.

Miror itaq; illorum nimiã intelligentiã, qui præscribunt formulas, quo pacto vnus humor solum educendus sit: & in commitione quantitatem humoris peccantis scire existimant. Nec ego propterea inficior, imo potius libenter fateor, miscenda esse medicamenta, pro varietate humorum: & mixta medicamenta, quodlibet suam formam retinere, nisi fiat fermentatio, etiamsi ingenue fatear, me formas substãtiales rerũ & medicamentorũ ignorare. Quando vero

Cur purgans medic. aliquando non purget.

medicamentum in debita quantitate exhibetur nec purgat, fit, vel quia calor naturalis est debilior, quam vt ad actũ deducere possit: vel quia adeo fortis, vt superet medicamentum (nam medicinã in corpus agere, & nõ assimilari, necesse est) & id in humorem, similem ei qui euacuari debet, vertit, vt meminit Gal. in lib. de Theriaca ad Pisonẽ, de phalangio: vel quia materia non est obediens virtuti expultrici: vel meatus obstructi â crassis humoribus, aut fecibus induratis: vel propter ventositatem subleuantem medicamentum, & descensum prohibentem. Ideoque vt corpus præparetur ante euacuationem, semper opera danda. De medicamentis vero purgantibus nunc docere, non est nostri instituti.

Virtus in primis consideranda.

In omni autem curatione, primo virtus consideranda: & ab ea tanquam potentissima regina, venia operandi petenda. In hac consideratione, tẽperatura quoq; in conspectum veniet. Secundo, humores boni, qui sunt in corpore: tertio, mali, qui sunt præter naturam, & remouendi: quarto, essentiam morbi, à qua prima indicatio in curatione petitur. Quia principiũ inuentionis est ipsa rei natura, de qua agitur, vt inquit Galenus.

Essentia vero morbi consideratur in materia, & in forma. sic materia febris putridæ est putredo, vel vapores putridi: forma,

dispo-

diſpoſitio præter naturam in corde, qua calor naturalis mutatus eſt in igneum. Eſt igitur duplex indicatio: vacuandum ſcilicet putridum, & alterandum calorem, vt antea monui.

Diaria autem febris, & hectica, quia ſunt immateriales, tantum alterationem indicant.

Secundo: Quantum ſit agendum, virtus & lapſus indicant. Nam quantitas intenſiue ſumitur à quantitate lapſus, extenſiue à quantitate virium. Si virtus ab euacuatione ſit validior, non deſiſtendum eſt: ſin debilior, ad virtutē ſtatim reſpiciendum. Nam morbus ſemper largam euacuationem requirit, ſed virtus prohibet. Reſpicimus etiã ad ætatem, tempus anni, ad quod refertur cœli ſtatus & regio. Item ad temperamentum: vt corpus calidum & ſiccum febricitans, facilius ad proprium temperamentum reducitur. Item, habitudinē corporis: vt qui habent venas latas, & carnem duram, patiuntur vberiorem vacuationem: contra, qui anguſtas venas, & carnem molliorem. Aetas ſequitur temperamentum: vt, non mittimus ſanguinem pueris, quia ſunt molles carne, calidi & humidi, & facile diſſoluuntur. Sic anni tempus proportione reſpondet temperamento, & ætati: vt in extremo frigore, & ſummo calore, vitamus vacuati-

Quantitatis conſideratio

ones. In ſummo frigore, quia ſectio venæ rarefacit corpus: frigus penetrat facilius, & lædit partes principes. In calore ſummo, quia vires ſunt exolutæ: vt ſub cane, & ante canẽ. Illud autem diuinum Quantum, cum difficulter reperiatur, diligenter vires ſpectandæ ſunt: & videndum, vt minus potius, quam nimium, hoc eſt, viribus aduerſum, faciamus.

Tertio: Quomodo. Indicat mores & cõſuetudo ægri. Ad mores proprietas indiuiduorum refertur; quia quidam formidant ſanguinis miſſionem, & medicamenta, propter occultas inimicitias.

Conſuetudo omnino vitio nõ caret, quẽadmodum inquit Galenus: & maximum locum præſertim in conſeruatione habet, vt quibuſdã ſi interdicatur vinum, &c. aut genus cibi quo vti conſueuerunt, non tolerãt. Huc referatur vitæ induſtria: vt aliter tractandus ruſticus, aliter ocioſus. Hæc autem indicatio præcipue variatur ſecundum minorem vel maiorem malitiam morbi. Quia non tantum mores ægri, verum etiam ipſius morbi, hic ſpectandi: vt quidam morbi, habent ſæua accidentia, quidam benigna. Vbi autem morbus dat inducias, non eſt perueniendum ad extrema remedia, aut ab illis inchoanda medicatio. Quia à ſummo in medicina non eſt tranſitus ad ima: extremis

autem

autem morbis extrema remedia exquiſitè adhibenda ſunt, vt Hipp. præcipit.

Quarta: Quando ſit agendum, indicat tempus morbi. Sed à tempore non ſumitur indicatio, quatenus tempus: verum à motu ægritudinis, & à virtute ægri, vid. cõceſſiue.

Tempora autem morbi duplicia ſunt, generalia & particularia: vt in paroxyſmorum acceſſionib. à cibo eſt abſtinendũ: item in incremento & vigore ſtatus: ſed in declinatione, vel remiſſione, cõceditur cibatio. Collatio aũt viriũ ad morbũ ſeu illius pugnæ, q̃ eſt inter naturã & morbũ, hæc tẽpora diſtinguit. Nã principiũ vocamus, cũ inſurgit natura cõtra morbũ: augmentum vero cum omnia ſymptomata grauiora fiunt. ſtatum, quãdo grauiſſima eſt pugna. in qua ſi ſuperat natura morbum, eſt declinatio ꝓprie ad bonum: ſi vero à morbo ſupatur, ad malum, vel ægri perniciẽ vergit. Tẽpora autẽ vniuerſalia ſecundum coctionẽ & cruditatẽ ꝑcipue diſtinguuntur. Motus quoq; morbi ſpectetur. Sunt autẽ duplices, diſtincti penes velocitatẽ & tarditatẽ. Motus tardus eſt in morbis chronicis, & tempora tardiora: motus velox in acutis. Hic doctrina de diebus criticis medico diligenter conſideranda, vt tempeſtiuum auxilium naturæ adferat: de qua in præſentia docere, non eſt noſtri inſtituti. Quinta: vbi agendum, indicat

Morbi tempora duplicia.

Morbi principium, augmentum ſtatus, declinatio.

Motus.

locus affectus. In morbis autem, qui dependent à fluxione, quatuor considerentur: locus, à quo materia fluit, in quem, per quem, & materia. Locus à quo fluit, dicitur membrum mandans, illud alterandum: ad quem fluit, recipiens, hoc roborandum, ne recipiat: (quia natura semper ad membra debiliora & ignobiliora pellit.) viæ per quas fluit, intercipiendæ: materia auferenda. Præclare enim inquit Auicēna: Sublata materia, neq; membrū mandans mandabit, neq; recipiēs amplius recipiet. Porro & locus in recipiente membro diligenter quoq; cōsiderandus: vt cum materia defluens peruenit ad mediū musculi, facit abscessum: si ad caput, circa quod multi nerui, facit conuulsionē & spasmum: si ad chordā, facit deprauatā figuram nec dolor est vehemens. Capite aūt musculi inflammato, vehementissimus dolor excitatur, & fiūt spasmi. Prima quidē species, cū materia implet caput musculi, cōtrahit: secūda, cū exiccatur caput musculi, & cōtrahitur, illa est incurabilis. Tertia fit à mordicatione rei acris, ac vocatur spasmus nō ꝓportionatus ad materiā. Cū autē materia ad chordas delabitur, fit contractio sine spasmo & conuulsione: quia materia pituitosa abbreuiat chordam, & ibi induratur vel propter frigus, vel propter caliditatem resoluentem & excoquentem humidum.

Obseruanda in fluxionū morbis.

Loci consideratio.

Abscessus.

Spasmus.

Contractio sine spasmo.

Item

Item consideretur locus medius, superior & inferior. Nam pars corporis omnis supra renes, est superior. Omnis infra renes, est inferior, vt vteri, intestina. Ideoque cum partibus supra renes sectione venæ succurrendum est, atque euacuandum, venam in brachio incidimus: cum inferioribus, venas pedis aperimus.

Conuenientia ductuū. Hic & conuenientia ductuum spectetur: vt ventriculus à pituita expurgatur per vomitum. Si pituita est in intestinis, per aluū: cerebrū per palatum, nares, oculos; thorax & pulmo per tusses, lien & renes per vesicam. Sic & consensus in sectione venæ seruandus est. Si enim venas, quæ nihil cum loco affecto consentiunt, pertundimus, sanas partes lædimus, nec curamus. sic mirus est consensus venarum malleoli cum vtero: vt doctrina de reuulsione & deriuatione ostendimus. Vbi vero loca cæca sunt, vt inter peritonæum & cutem, Medicus materiam residentem in loco cæco, vel per halitum digerere, aut viam illi artificio præparare debet: vt cum secatur hydropicus. Huc curationes omnes fere chirurgicæ spectant. Atque hæc de indicationibus monuisse satis sit.

Indicationibus cōplicatis quid agēdum. Cum vero coincidunt, & complicantur indicationes, ab illa initium sumendum est, quæ in resolutione vltimo inuenta, vel sine

qua alterum aggredi non poteſt. Hic vero
tenendum eſt,quod Gal.monet 11. Metho
di:Digniora,maioraque indicantia,ſempe
primo præcipueque amplectenda.Dignita
quidem vitæ, ſanitatiſque reſpectu iudica
tur. Magnitudo vero vel ratione ſubſtan
tiæ & nobilitatis mẽbri in quo eſt morbus
vel ratione receſſus à naturali habitu,&c
Nam quantum vnumquodque à natural
ſtatu receſſit, ad tantam morbus magnitu
dinẽ deuenit,vt Gal.inquit,primo ad Glau
conem.

Hic & illud obſeruandum eſt, cum me
dicamur membris remotis, augendam eſſe
molem, quantum coniectamus poſſe illi
decedere in tota materia:ne materia defici
at citius quam opus eſt.vt renibus male ad
fectis,ſi à ſuo temperamento atque ſymme
tro receſſerunt, & calor duobus gradibus
auctus eſt, medicamentum adhibendum
quod per duos gradus refrigeret. Danda i
gitur erit opera,vt medicamentum,dum ad
renes peruenit, duos gradus reſeruet,hoc
modo.Ponamus, vncias duas aquæ portu-
lacæ habere duos gradus refrigerandi: nos
exhibemus tres vncias. quia ille exceſſus v-
nius ſuperadditæ, in tranſitu per ventricu-
lum, inteſtina, meſaraicas, & epar, amitti-
tur. Foris autẽ, cum renes refrigerare cona-
mur, quia non longus eſt tranſitus, vix ſu-
pra duos gradus applicabimus.

Præſcribere autem certam medicamenti quantitatem, in euacuando aut alterãdo, nõ eſt humanæ intelligentiæ. Medicus prudentia aliquid aſſequitur, ſumpta indicatione à temperamento loci affecti, à ſitu, & à facultate medicamenti, vel viribus, quæ nec omnes nobis notæ ſunt. ſicut & tẽperamẽtorum diuerſitates, & multa hominibus peculiariter inſita, ſcire medico difficile eſt: etiam ſi diſcere oporteat, ſcribere non ſit poſſibile, quemadmodum Galenus primo de Arte curatiua ad Glauconem ait.

Quæ fere ad medicamentorum ſimplicium cognitionem attinent, ea diſcant ſtudioſi ex lectionibus D. Montani editis, & Galeno. Quem cum legent ſtudioſi, aut in curationibus verſabuntur, animaduertent, in his noſtris chartis, præter eam partem quæ victus rationem præſcribit, fere omnia quæ ad vniuerſalẽ Methodum curatiuam pertinent, comprehenſa. Nec ſe propterea, qui hæc didicerit, vniuerſa ſcire arbitretur: ſed ſciat, Medicum cognitis vniuerſalibus, perpetuo ſe in particularibus exercere debere: ad quam doctrinam nec charta, nec ætas vlla ſatis eſſe poteſt.

METHODI THERAPEV-
ticæ finis.

CLARISS. ATQVE ORNATISS. VIRO, GEnere, virtutibus & eruditione præstanti, ALBERTO SAVRMANNO Senatori Vratislauiensi, Ioannes Crato S.D.



Ttulisti mihi, cum ex aula regia huc redires, exemplar ideæ Hippocraticæ, à clariss. Montano in schola Patauina propositæ. Quod cum ego inspicerem, & simul cum meo conferrem, valde dolui, excellentissimi viri & præceptoris carissimi scriptum, adeo deprauatũ, vt vix agnoscas eius esse. Itaque cum iam hortatu amicorum quædã mea Montanica ederem, exemplar Ideæ Hippocraticæ meum, non Viennense, cum reliquis necessario coniunxi: & hoc publice profiteri volui, ne typographus vel author editionis conqueri possit, me aliqua iniuria ipsum affecisse, aut voluisse saltem.

tem. Habeant potius mihi gratiam, quod ea quæ corrigenda erant, fideliter monſtrauerim, & meum exemplar publicum fecerim, de quo reliqui ſua poſſent emendare. Hortor autem Medicos, qui Montani ſcripta edunt, vt aliquam non modo ſummi viri, ſed ſui quoque rationem habeant: & cogitent quantum interſit, in ſtrepitu auditorum, & interpellationibus crebris & moleſtis, dicere: & meditata ſcribere, eaque ante editionem corrigere. Nemo vero Montani ſcripta facile corriget, niſi qui eum diu & attente audiuerit, & prælecta non oſcitanter relegerit. Ac ſcriptorum & diſcipulorum quoque Montani magna eſt diuerſitas. Sed de his non eſt propoſitum ſcribere. Hæc autẽ in mentione tui nominis, Alberte Saurmanne, ſcripto Montani præpoſui, vt publice neceſſitudinem coniunctionis noſtræ omnibus declararem: & oſtenderem, me ob præclara & multa tua in me, & rẽ literariam merita, tui eſſe obſeruantiſſimum, & ſemper fore. Bene vale.

IDEA ET CHARACTERISMVS DOCTRINÆ Hippocraticæ, propoſitus ſtudioſis in prælectione Aphoriſmorum Hippocratis, à Ioanne Baptiſta Montano, Medico & Philoſopho excellentiſſimo.



IPPOCRATES Medicus dogmaticus, à notione finis, qui eſt ſanitas in corpore humano, artem conſtituturus, hac via atq; ratione procedit. Initio circa ſubiectum, videlicet corpus humanum, tria conſiderat: ſubſtantiam eius, facultates, & actiones. Et quia, cum res ſenſui patet, Medicus rationes negligit, cum ſit artifex ſenſitiuus, circa corporis ſubſtantiam tria ſenſibilia principia obſeruat: videlicet membra ſolida, humores & ſpiritus. Ac ita à ſenſibilibus doctrinam inchoat.

I. *Membra ſolida.* Membra vero ſolida duplicia ſunt: videlicet, compoſita ſiue organica, ſiue diſſimilaria; & ſimplicia, vel ſimilaria.

Compoſita Compoſita ſunt, veluti manus, caput,

caput, crus, & reliqua huiusmodi. Similaria vero sunt, vt nerui, arteriæ, venæ, caro, &c. Solidorum generationẽ esse posuit ex quatuor humoribus. Actiones solidorum tanquam notas præterit. Proprium enim Hippocratis est, vt nota vulgo prætereat, & recondita tantum declaret. Similarium autẽ actiones, singulorun quidem in variis locis exponit, sed trium potiss. quæ ad præsens institutum maxime scire expedit. Neruorum enim actionem dicit afferre animali sensũ & motũ. Arteriarum vero spiritum deferre & calorem naturalem, vt det actum vitæ singulis partibus animalis, vbi prius fuerit *in* potentia. Venarum vero actionem esse, vt alimentum per singulas partes deferant ad animal nutriendum. Et istud proprium est Hippocratis dogma, contra id quod multi alii philosophi & Medici opinati fuerunt. Nã Pelops Galeni præceptor, asseruit secundum Hippocratis sententiã, omnia solida membra à cerebro ortum habere: non leue argumentum capiens ex autoritate, in 2. de Natura humana, vbi ponuntur quatuor cõiugationes vasorum à cerebro orientium. Contra hanc sententiã disputat Galenus in .de Placitis: disseritq;, Hippocratem nihil aliud sentire de origine solidorum, quam senserint reliqui omnes optimi Anatomici. Et quãtũ ad autoritatẽ ex secũdo de Natura

Similaria.

Hipp. proprium, Gal. 3. de diff. spirãdi.

Functiones 3 Neruorum. Arteriarum

Venarum.

Pelops Galeni præceptor.

2. Lib. de natura huma.

na non esse Hippocratis. tura humana, negat eum librum Hippocra-
tis esse: imo ne alterius quidem Hip-
pocratici viri, sed alicuius imperiti, qui n
sensibilia quidem cognosceret. Et hæc c
II. *De humoribus.* solidis. De humoribus hoc voluit Hippo-
crates, quatuor tantum esse humores: atqu
nullum eorum excrementum, vt alii cred-
derunt, sed vnumquenque proprie nece-
ssariam esse corporis partem, & sine istis qua-
tuor nullo pacto constare animal posse, v
opt. probauit in 1. de Natura humana. Ac-
Sanguis onum autem sanguinis præcipuam esse, v
nutriat & augeat calorem innatum, & ro-
bur det corpori, vt colorem natiuum flor-
Bilis. dũque efficiat. Bilis vero, vt excitet omn
sensus ac motus, vegetioresque efficiat; v
acuat calorem innatum, & adiuuet distri-
butionem, vt excitet expulsionem. Idqu
adeo in omnibus excrementis, tam in ege-
stionibus quã vrinis & sudoribus quod ap-
paret ex odore, & sapore etiam, vbi aliquo
istorum gustare contigerit. Sunt enim om-
nia ista excrementa amara & salsa. vnde et-
iam, vbi in excrementis non apparuerit si-
Excrementum crudũ, non tinctum bile. gnum bilis, appellantur ea excrementa cru-
da, & non naturalia. Actio humoris melan-
cholici est, vt sit tanquam sedes & retinacu-
Melancholicus humor. lum duorum calidorum humorum, sangui-
nis videlicet, & bilis. Remoto enim hoc hu-
more, nulla stabilitas, nulla quies in duobu
illi

illis humoribus inueniretur: sed euolaret, quicquid in eis contineretur caloris & spiritus. Congrue igitur est addita bilis atra, quæ retineat & firmet humores. Vnde videmus tẽperaturas illas, in quibus parũ de atra bile, & plurimũ de sanguine aut bile reperitur, in illis nullum studium, nullã prudentiã reperiri: sed biliosos quidem sẽper furere, & in nullo proposito manere: sãguineos vero ridere, fatuos esse, & nullius rei curam habere, sed si illis accesserit atra bilis, statim omnia firmari, & prudentiam acquiri. Optime igitur dicebat Aristoteles 3. Problemate 1. Omnes sapientes esse, vel fuisse melancholicos. Pituitæ actiones dicebat Hippocrates esse primo, vt nutrirent mẽbra frigidiora: secundo, vt humidas redderẽt partes, quas moueri necesse est, ne nimia siccitate impediatur motus, difficilisue reddatur: sicut sũt iũctiones humani corporis, & lingua etiã. Videmus enim ões istas partes semper humectas: & vbi exsiccantur, ægre moueri, quod manifestissime deprehenditur in lingua exsiccata. Proportionẽ autẽ voluit habere hos quatuor humores cum quatuor elemẽtis, ita vt bilis fiat, quẽadmodum ignis, calida & sicca: sanguis, sicut & aer, calidus & humidus: pituita, vt aqua, frigida & humida: humor melancholicus, vt terra, frigidus & siccus. Vnde & eosdem humores ex quatuor illis primis cor

Melancholici cur studiosi.

Pituitæ actiones.

Humores quatuor proportionem habere cum elementis, et his quatuor anni tempora respõdere.

poribus voluit generari. Fuitque Hippocr
tes ipse primus huius sententiæ autor & cō
stitutor: quam postea sententiã secutus es
Plato, Aristoteles, Theophrastus, Stoiciqu
omnes, Academici et Peripatetici: sicut op
time probat Galenus cum alibi sæpe, tun
præcipue in lib. de Placitis Hippocratis &
Platonis. Sed & istis humoribus quatuo
voluit quatuor hominum ætates, quatuo
anni tempora, proportione respondere, au
gerique & minui humores istos secundu
mutationẽ & ætatum & temporum. Vult e
nim & in pueritia, & in vere (hoc enim tem
pus pueritiæ correspõdet, propter temper
em calidam & humidam) vult inquã, in ha
ætate & tempore anni, sanguinẽ primo au
geri, secũdo pituitam: atram vero bilem p
mo minui, secundo ruffã. In æstate vero,
in iuuentute, quæ ambo calidæ & siccæ te
peraturæ sunt, bilem primo augeri, secund
sanguinem. minui vero magis pituitam, m
nus atram bilem. In decrescente ætate & au
tumno, frigidæ & siccæ tẽperaturæ exist
tibus, bilem nigram primo augeri, secund
pituitam: minus augeri sanguinem, minus
bilem. In vltima vero ætate, id est in senio
in hyeme, cũ ambo in frigiditate & hum
ditate respondeant, maxime augeri pituit
secundo atram bilem: diminui vero san
guinem, & bilem. Hæc sunt quæ de hum
ribu

ibus, tanquā principia & ſemina artis medicæ, tradidit Hippocrates. Ad ſpiritus modo tranſimus, quos diximus tertium eſſe principium ſubſtantiæ humani corporis, quorum ſecundum Hippo. tres ſpecies ponuntur. Prim⁹ ſpiritus dicitur animalis, perfectus & cōcoctus in cerebro: cuius actio eſt, vt det motum & ſenſum animalibus. Alius ſpiritus eſt q generatur in corde, qui quidē tanquam materia eſt ad ſpiritum animalē: defertur n. ad cerebrum vitalis ſpiritus, per arterias aſcendentes; & ibi perfectiſſime cōcoctus & attenuatus, efficitur aptus ad actiones prædictas, dum per neruos, tanquā per inſtrumēta propria, per ſingulas quaſq; corporis partes diſtribuitur. Et hic eſt ambiguitas, nondum explicata ſecundum mentē Hippocratis: Vtrū ſcilicet velit Hippo. ad ſenſum & motū perpetuum deferri ſpirit⁹ ab ipſo cerebro: an ſpiritus quidē permaneant, animalis vero virtus ſolummodo tanquam radius quidam ſolis, ſubito ſine tēpore perceptibili, quaſi illuminet omnes neruos, vnde ſequantur ſenſus & motus? Quamuis enim Galenus inclinet, vt magis credat, virtutem tantum animalem deferri: in .tamen de Placitis, dubiū relinquit, an hoc vel illo pacto credendū ſit. Et id ſatis fuit ad monere. nā fortaſſe etiā importunū fuerit, hoc loco ambiguitates diſſoluere. In ſpiritu vitali,

III. De ſpiritibus.

1. Animalis.

2 Vitalis.

Quæſtio, An deferantur ſpiritus à cerebro efficiēte ſenſum & motum, an vero fiat irradiatio, & virtus tantum deferatur.

Lib. 1. de locis affect. cap vlt.

vitali, quem in corde generari diximus, &
materiam ſpiritus animalis actionem dupl
cem Hippocrates poſuit: & ſano modo in-
Actio. telligatur actio, propter ſophiſtas: prout cõ-
petit inſtrumento, & non principaliter agẽ-
Facultas vis à qua procedit actio. ti. Agẽs enim principale facultas eſt, de qua
loquimur. Inſtrumentum proxime agens
ſpiritus eſt: nulla enim actio ſine ſpiritu fit
vt quandoq; etiã Galenus crediderit iſtum
ſpiritum eſſe ſubſtantiam animæ & faculta-
tis. Actio igitur huius ſpiritus vitalis duplex
eſt: altera in ipſo corde, altera ab ipſo corde,
ſed non in corde. Actio in corde, & ex cor-
de, eſt vigor animi, tenor & conſtantia in re-
bus agendis. Iracundiam autẽ pro actione
non poſuerim, cum potius ſit paſſio, quam
actio: verum non in corde, ſed à corde eſt
motus arteriarum. Conſtat n. arterias per ſpi-
ritus tanquã proximum inſtrumentum mo-
ueri, qui ſpiritus emanant à corde: & ſine
eo ſpiritu animato à corde, & ab eodem
perpetuo defluente, non fiet motus arte-
riæ: ſicut patet, ſi quis ligauerit aut inciderit
arteriã aliquam. vltra inciſionẽ enim aut li-
gaturam nõ fiet motus, propter impedimen-
3. tum tranſitus ipſius ſpiritus vitalis, in quo fa-
Naturalis. cultas animi continetur. Tertius ſpiritus na-
turalis eſt, & materia vitalis: quemadmo-
dum vitalis materia eſt animalis. Iſte autem
ſpiritus in epate generatur, ſcilicet in ſangui-
nis

nis generatione. Sanguinis enim vapor iste ſpiritus eſt, qui antequam conficiatur in corde, attenuetur, & ad temperiem reducatur, non eſt aptus ad vitam animalis perficiendam: ſicuti neque ſpiritus vitalis, antequam conficiatur & temperetur in cerebro, non eſt aptus ad perficiendum ſenſum & & motum. Eſt igitur gradus triplex, & in trinitate tota animalis perfectio conſumitur. Non male igitur Galenus dicebat 4. de Simplicibus medicamen. ſpiritum naturalem tanquam materiam eſſe ſpiritus tum vitalis, tum animalis. eſt enim craſſus, terreſtris, admodum materialis, & non obediens formæ perfectæ: & ideo explet tantum opera vegetabilis animæ. ſicut apparet in plantis, vbi ſpiritus ille craſſus, non perfectus & attenuatus ab aliquo principio nobili, ſicuti eſt cor & cerebrum, nullam aliam actionem profert, niſi vegetabilem tantum. Latet ergo ille ſpiritus, quoniam operationes eius ſunt occultæ & materiales: & ideo nõnulli craſſioris diſcurſus & intellectus, male etiam aſſequentes principia Hippocratis & Galeni, negauerunt ſecundum illos dari ſpiritum hunc naturalẽ: præcipue cum viderint & legerint Galenum in Therapeuticis, quando dubitaſſe videtur, an detur ſpiritus ille naturalis: quod tamen nõ negat, ſed tantum dubitat: & quare dubitet, alibi declara-

Contra negantes ſpiritum naturalem.

Lib. 12.

uimus. Nihil autem eſt magis contra princi-
pia philoſophiæ, cōtraq; principia Hippocra-
ticæ diſciplinæ, q̃ ſpiritum naturalē negare,
ſine quo nec calor quidē poteſt aliquo mo-
do cōſiſtere, ſiue in ſimplicib. ſiue in cōpoſi-
tis, ſiue in animalib. ſiue in anima carentib.
vt optime aſſerit & probat Hippocrates in
ſuo libro de flatibus. Theophraſt⁹ aūt nihil
frequentius proponit in omnib. actionibus
& paſſionib. plantarum, quam, omnes cau-
ſas earum ad naturalem ſpiritum referendas
eſſe. ſed & Alchimici hoc nouerunt experi-
mento, qui per ſublimationē ſpiritum ſepa-
rāt à craſſis partibus: qui ſpiritus procul du-
bio naturalis eſt. Spiritus etiā in ſemine na-
turalis eſt, nō tantummodo ſecundum Me-
dicorum ſententiam, ſed Ariſtotelis etiam.
Fœtus primo viuit vita plantæ: & tunc ſpiri-
tus ibi omnia peragit, ante etiam quam cor
generetur, ſaltē ſecundum Medicos. Sed hęc
de ſpiritu naturali ſatis, quantum ad pręſens
negotium attinet: alibi enim de hoc diffu-
ſius diſputabimus. Hæc igitur ſunt tria prin-
cipia humanæ vel corporeæ ſubſtātiæ, quod
corpus eſt ſubiectum, circa quod verſatur
ars medica: reliqua duo principia, ſunt facul-
tates huius ſubſtantiæ vel ſubiecti, & altera-
tiones, ſeu motus, ſeu paſſiones. quod eſt idē
ac ſi diceremus, quid ſit aptum agere, &
quid pati hoc ſubiectum. hoc enim erat

Spiritus naturalis in ſemine.

quod

quod dicebatur à Platone in Phædro: diuinum Hippocratem, dum constitueret artem propriam medicam, priùs proposuisse sibi subiectum determinatum, distinctum & separatum à reliquis scientiis & artibus: & hoc subiecto ita proposito, cõsiderauit postea, quid esset aptum agere, & quid pati. Quã artẽ tanquam diuinam Plato admiratur: & admonet, in reliquis omnibus artibus constituendis & perficiendis, neminẽ discedere oportere à methodo admirabili Hippocratis. Facultates igitur, quę inueniuntur in hoc subiecto, id est, humano corpore, ex quibus sequuntur actiones, tres constituuntur in genere: queãdmodum etiam tres spiritus cõstituebantur. Neq; mirum, si facultates numero, & actiones spiritibus correspõdeant: si modo verum est, spiritum ipsum vel esse proximum instrumentũ facultatis, vel ipsam facultatem. Si igitur tres sunt spiritus, tres quoque sunt facultates: & si tres facultates, tres quoque actiones: omnino enim spiritus, facultates, actiones, sibi inuicem correspondent. Circa hoc, antequam aliud dicamus, de facultatibus ortus est error vulgatissimus, à mente iuuenum eradicandus: videlicet, tres facultates animæ hîc positas, ita intelligi ab HIPPOCRATE, vt tres sint animæ loco & substantia distinctæ. hoc enim non est conficere vnum

Platonis iudicium de Hippocrate.

II. De facultatibus.

Facultates tres respondent ordine spiritibus.

Error de facultatibus.

animal, ſed tria animalia in vno corpore treſq; animas vnicum ſubiectū conſtituere:, & ita Geryonē potius quēdā, triplici anima conſtantē q̃ hominē effingemus, longe mōſtroſius q̃ chymæra, vel hippocentaurus. Nō igitur hoc dogma eſt Hippocratis, qui inter maximos philoſophos, teſte etiā Platone, & Ariſtotele, nedum Galeno, præſtantiſſimus fuit: ſed Hippocrates vnam tantum animæ ſubſtantiam in humano corpore poſuit, ex qua vna anima vnum etiā animal denominatur & eſt. Iſtam autem vnā animā expreſſe Hippocrates poſuit temperaturā eſſe: quæ quidem temperatura non eſſet in omnibus membris æqualis, ſed varia, pro actionibus vniuſcuiuſq; membri, quæ tamen varietas tanquam concentus quidam variarum vocum ad vnam harmoniam per rhythmum reduceretur. Illam enim harmoniam à temperatura reſultantem, imo reuera ipſam appellatam temperaturam. Temperies enim non eſt ipſa mixtio ſed harmonia, quæ ex mixtione reſultat; ſicut ex Hippocrate & Galeno diffuſiſſime probari poteſt. Hæc igitur harmonia & vnitas tēperaturæ, quā diximus ſecundum Hippocratem eſſe animam, cum in variis membris vario modo operetur, neceſſe eſt vt in aliquo mēbro nobiliſſimo agat: vbicunque enim & maius & minus, ibi ēt ſummum reperitur. Et cū ad animal

Hippocrates vnam tantū animæ ſubſtantiam in corpore ponit, videlicet harmoniam à temperatura reſultātem.

Temperies.

animal perfecte conſtituendum, neceſſario triplex genus actionum requireretur (eſt n. primo neceſſariũ, vt corpus alatur, augeatur, & prius generetur) oportuit igitur ponere principia harũ actionum, generãdi, augendi, & alendi. Ergo vnum erat principium, ſtatuendum, quod eſſet cauſa omnium iſtorum. Tale igitur principium eſt epar, conſtitutum à natura, in quo tanquam in fonte & origine apparet genus facultatũ omniũ naturaliũ, q̃ inſeruiunt ad nutriendũ, augendũ, & generandum. Facultas itaque in genere, orta quidẽ in epate, per vaſa, quæ venæ appellantur, mediãte ſpiritu, diſtribuitur per ſingulas partes corporis : & primo quidem nutrit, deinde aliquo etiam tempore auget: & vbi ceſſant motus augmenti, excitatur virtus tertia, generandi ſcilicet, vt ſpecies conſeruentur.

Sedes facultatum naturalium epar.

Virtus autem generatiua habet inſtrumentum proprium, ſecundum Hippocratẽ, vbi perficit ſuum opus, videlicet ipſos teſticulos: in illis enim ſemen acquirit vltimam formam, & præparat ad ζωογονίαν, id eſt, animalis generationem. Vult igitur Hippocrates, ſemen quidem à toto corpore decidere generatiuum in venas, vltima quadam cõcoctione, non tamen eſſe perfectum: nec eſſe etiam quod Græci dicunt ζωογόνον, id eſt, animalis generatiuum, niſi prius conficia-

De virtute generatiua.

Materiale ſeminis à toto corpore prolabitur, ſed formam accipit in teſticulis.

tur in teſtibus. Et hoc vel non aſſecutus fuit Ariſtoteles, vel non placuit illa ſententia: quam tamen debiliter improbauit. Ita igitur dicemus, ſecundum Hippocratem, materiale quidem à toto corpore ſemen decidere: ſed formaliter, & vltima concoctione perfectum, à teſtibus tãtum, & à vaſis ſeminariis. Et hæc, quantum attinet ad facultatē naturalem. Secunda facultas vitalis eſt, quæ fundatur in corde, & quæ vtitur instrumēto ſpiritus, quem vitalem appellauimus. in hoc enim ſpiritu delata hæc facultas à corde, diſtribuit actum vitæ ſingulis partibus corporis, quem prius habebant in potentia.

2. Sedes vitalis in corde.

Tertia facultas omnium nobiliſſima, originem habet in cerebro, quæ & ipſa per ſpiritum animalem mediantibus neruis diſtribuit ſenſum & motum propriis inſtrumentis. Ab his tribus facultatibus prodeunt actiones diſtinctæ, quoniam & facultates diſtinctæ ſunt. Et quidem duplices, quædam intrinſecæ, quædam vero extrinſecæ: vt in cerebro facultates animales intrinſecæ ſunt imaginatiua, cogitatiua, & memoria. Extrinſecæ, id eſt, à cerebro procedentes: vt ſenſus exteriores, & res motiua in neruis; ſic in corde ſunt affect⁹, à corde arteriarum motus & calor. In epate eſt ſanguificatio. Sanguis autem per vaſa, quæ venæ appellantur, mediante ſpiritu fertur; & eas effectiones habet

3. Sedes animalis in cerebro.

De diſpoſitionibus & alterationibus corporis humani.

do-

de quibus diximus. Hæc ſufficiant de facultatibus in humano corpore, quib. diſponitur ad agendum. Nunc de tertio principio artis Medicæ diſſeramus, ſecundū Hippoc. Illud eſt, quo humanū corpus ad patiendū diſponitur. Et quoniam confectum eſt corpus humanum tribus compoſitionibus, videlicet ex temperie quatuor humorum. ex cōpoſitione membrorum ſimilarium, ex vnitate & cōtinuitate partiū: ita his trib⁹ quoque ad patiendū diſponitur, ſecundum diuina Hippo. fundaméta. Quia vero vnumquodq; ꝙ patitur & im̄utatur, à cōtrario immutatur: ideo & à contrariis ſuis ſingulæ tres conſtructiones patientur. Ex his ſequitur, primam conſtructionem, quæ fit ex quatuor primis qualitatibus, pati ab oppoſitis. Tēperies igitur, quæ calidum appellatur, à frigido alterabitur: frigida à calido, humida à ſicco, ſicca ab humido, & ita deinceps. Iſta autem alteratio & immutatio, ſecundum Hippocratem vel fiet per qualitates tantum ſine materia, vt quod aduentat frigiditas pura, vel caliditas, vel aliqua aliarum qualitatum ſimplicium, vel cōpoſitarum, & im̄utent ſuum oppoſitum: vel ꝙ nō tantum qualitas accedat, imo & materia contraria, alterans & immutans: materia autem vel vaporoſa, vel corpuléta. Vaporoſæ ſunt, ſicut flatus, variis modis humanum corpus alterantes, & affligentes.

Quodlibet pati à contrario.

Alteratio.

Materia duplex.

Materia

Materia corpulenta, ſunt quatuor humores, ſanguis, bilis ruffa, bilis nigra, & pituita à quibus variæ quoque alterationes mutationesque fiunt: quæ quidem materiæ non tantum alterant ſua multitudine, quantum etiam qualitate; imo variis qualitatibus, quas acquirunt tum à morbis, tum à mala victus ratione, tum à putredine. A putredine enim tot modis variantur humores, & in varias naturas tranſeunt, vt Galenus in fine 2. de facultatibus naturalibus, innumeras differentias horum humorum fieri voluerit: & quot differentiæ fieri poſſunt, tot etiam ſpecies alterationum & immutationum in humano corpore fiunt. Vnde non eſt mirum, ſi quandoque morbi accedant, tum in aliquo indiuiduo, tum quandoque in tota ſpecie, qui nunquam amplius viſi ſunt: ſcilicet propter nouas formas & differentias in humoribus à putredine acquiſitas: vel propter influxum ſtellarum, vel propter malam victus rationem. inter quos, morbus Gallicus eſt, qui noſtra tempeſtate graſſari cœpit: & lichenes, vel mentagræ, Plinii ætate, quæ poſtea interciderunt. neque amplius viſuntur. Tot igitur modis in genere conſideratis, temperaturæ humani corporis à ſuis cõtrariis demoliũtur, & im̃utãtur: vnde poſtea peſſimi habit⁹ vel diſpoſitiones acquirũtur, ſiue in toto, ſiue in parte: qui habitus vel diſpoſitio-

Morbi noui, & nunquam antea viſi, vnde.

Morbi.

positiones, morbi appellantur: à quibus sequuntur actiones læsæ, excrementa, & qualitates immutatæ. Secunda distinctio erat, quæ ex membris similaribus conficitur, & ista quandoque alteratur & immutatur à suis contrariis: quot autem modis fit ista cõstructio, tot modis lædi potest. Est autem hæc constructio in quatuor potissimum: ex plasmatione vel formatione, ex debita quãtitate, ex debito numero, & ex debito situ partium. ex his enim optima constructio est uniuscuiusq; membri organici. Plasmationem seu formam vocamus, ipsam compositionem, quæ attenditur penes debitam formam membri: sicut quod digitus habeat debitam formam, quæ requiritur in digito, & digito tali, sicut pollice, vel indice: & penes debita vasa, quæ debet habere, & cauitates, ita vt membrum sit concauum, vbi debet esse concauum: conuexum, vbi debet esse conuexum; & sic de singulis, quæ ad figuram attinent. Item quod ad superficiem: ut quæ debet esse læuis, sit læuis: quæ aspera, sit aspera: sicut superficies intrinseca ventriculi, & vteri muliebris. vtrumque enim horum membrorũ debet esse in superficie asperũ, & nõ læue. Tot igitur modis destruetur ista constructio, vbi accedent sua opposita. Exempli gratia, vbi digitus amittit propriam formam, & ad oppositum transmutabitur,

2. Alteratio in compositione membrorum similarium.

Plasmatio.

In forma.

In superficie.

bitur, vel proprias cauitates, vel propriam superficiẽ: & semper istæ alterationes fient ab opposito. Simili modo & quantitas debita membri in magnitudine aut paruitate, destruetur à contrario: vt quando quod debet esse magnum, hoc efficitur paruum: vel quando quod debet esse paruum, efficitur magnum. De numero eadem ratio, vt quando in aliquo membro organico debent esse tot partes, vt in manu scilicet quinq; digiti: & quatuor, aut sex efficiantur. Eadem ratio de situ, vt si immutetur situs membri prętet naturã, & omnino istæ omnes mutationes, vt facile est videre, fiũt à suis oppositis. Tertia cõstructio erat, vnitas & cõtinuatio partium: in hac quoq; vnitate & tertia cõpositione sunt alterationes & motus à suis contrariis, quas alterationes & motus simili modo, vt in reliquis, sequuntur habitus & dispositiones præter naturã, qui morbi appellantur: & vnumquodq; genus istorum morborũ habet propriã denominationẽ à subiecto in quo fiunt. Vt morbus in cõplexione, vel temperatura appellatur, quando est in prima illa compositione, quæ fit ex quatuor humoribus. Morbus autem in compositione appellatur, qui est in constructione secunda, ex similaribus. Tertius morbus appellatur solutio continui, quæ fit in tertia constructione, quę dicitur vnitas seu continua-

In quantitate.

In numero.

Situ.

III. Alteratio in continuitate partium.

Triplicia morborum genera.

tinuatio partium. Et ſicut hęc alteratio fit in membris ſolidis, ſic etiam in reliquis partibus ſubſtantiam corporis conſtituentibus, alterationes reperiuntur, quæ morbos pariunt. Nam humores, aut in quantitate tantum, aut in qualitate tantum, aut in vtraque ſimul mutant. Si in quantitate tantum, aut omnes, aut plures, aut vnus tantnm humor augetur. Si omnes æquali proportione augentur, tunc in eo corpore vitium generatur, quod πληθώρην, id eſt, plenitudinem quo ad vaſa, appellant. Quando vero vnus humor actus eſt, & tum mala fit diſpoſitio, quæ κακοχυμία dicitur. Si circa qualitatem humores alterati fuerint, iuxta qualitatum diuerſitatem, ęgritudines diuerſæ conſequuntur. At cum alterationes in ſpiritib. fiunt, & ii quidem augentur, nullam læſionem, ſed iuuamẽtum maximum adferunt: quia eorum actiones maiores & validiores fiunt. Si vero diminuantur, proculdubio eorũ operationes imbecillæ reddũtur. Vnde notãdũ eſt, in opere practico, dum ad ægrũ quempiam acceſſeritis, & omnes ſenſus animi cum actionib. tam exterioribus q̃ interioribus atque motiuis deficere videritis, tum palam eſt, ſpiritum animalem diminutum eſſe, à quo immediate tanquam à proximo inſtrumento emanant hæ actiones. Idẽ de ſpiritu vitali dicendũ: qui cum augetur

πληθώρη.

κακοχυμία.

tur debito modo, nullum nocumentum affert: at ſi diminuatur, animi deliquium, &c. Si vero naturalis ſpiritus diminuatur, ſequitur flatus, & multi alii morbi, de quibus hic non eſt dicendum. Ob id Hippocrates in libello de flatibus, recte omnes morbos in humano corpore à ſpiritu naturali oriri dicebat. Habent autem iſtæ omnes alterationes, & iſti omnes habitus, vel diſpoſitiones acquiſitæ per tales alterationes, ſuas cauſas, alterantes & efficientes: illæ autem cauſæ extrinſecæ ſunt; quarum aliquæ neceſſario humano corpori occurrunt, aliæ non neceſſario.

De cauſis.

Quæ occurrunt neceſſario, & alterant, ſunt, aer, cibus & potus, accidentia animi, motus & quies, ſomnus & vigilia, inanitio & repletio: ſine his enim ſex, quæ à Medicis dicuntur ſex res non naturales, nõ poteſt animal viuere. Vbicunq; igitur hæ cauſæ neceſſario occurrunt corpori, quantum, quãdo, vbi & quomodo oportet, tam diu corpus erit ſanum: quando vero occurrunt, vel quantum non oportet, vel quando, vel vbi, vel quomodo, ſemper fient alterationes: & ſi iſtæ perdurabunt, fiunt habitus q morbi, dicũtur, deteriores, vel mitiores, prout iſtæ cauſæ vel maiores vel plures erunt in intenſione & extenſione. Cauſæ vero alterantes non neceſſario, ſunt, ſicuti percuſſio, inciſio,

caſus

casus ab alto, illisio, vstio, vel aliqua huiusmodi. nam & ista alterant, & faciunt habitus malos, eodem præcise modo, sicut diximus de causis præcise necessariis. Isti autem morbi omnes in genere & specie, quos fieri diximus secundum Hipprocratem, per alterationes prædictas in triplici differentia sunt. Quidam enim eorum dicuntur acuti, quidam chronici. Acuti dicuntur apud Hippocratem, qui fiunt ab humoribus calidis, vel qualitate calida: humores autē calidi sunt, sanguis & bilis. vel qui fiunt in aliquo membro organico nobilissimo, sicut cerebrum, cor, epar: tot modis fiunt acuti morbi. Acuti morbi facti ab humoribus calidis, vel à calore, omnino sunt morbi proprii iuvenum, & æstatis & regionum calidarum: qui vero acuti fiunt non propter humores, sed ratione nobilitatis membri organici, nō minus cōtingunt in senibus, imo ēt magis, q̃ quo membra senū minus resistunt. Alii morbi dicuntur chronici, id est, tardi & longi, qui opponuntur acutis: fiunt autem hi morbi ab humoribus frigidis, pituita scilicet, & humore melancholico: & sunt morbi senū, hyemis & regionum frigidarum. Ista est prima differentia morborum, secundum Hippocratem. Secunda differentia est, vt morborum quidam sint salubres, quidam lethales. Salubres fiunt vel propter humores, qui

De morborum differentiis.

Acuti.

Chronici.

Salubres.

non multum recedunt à natura, vel quantitate, vel qualitate, vel substantia: aut quoniam humores isti non occupant partem aliquam nobilem, sed abiectam. & quod de humoribus, idem dictum puteris de qualitatibus: videlicet quando aliqua qualitas pura, siue materia alterat quidem membrum, sed non intense: aut alterat quidem intensissime, sed membrum ignobile: tot enim modis fiunt morbi salubres.
Insalubres. Insalubres autem, fiunt ab oppositis prorsus causis: videlicet vel quando qualitas passiua sit, vel humores passiui peccantes in qualitate, quantitate, aut substantia: vel quando nobilissimum membrum obsessum fuerit. inde enim fient insalubres. Et quod diximus de morbis in temperatura, idem erit dictum de morbis in compositione & solutione cōtinui. Nam vbi membrum nobile amittet suam constructionem naturalem, aut suam vnitatem, efficietur morbus lethalis: si vero membrū ignobile eidem patietur, fiet morbus salubris. Tertia differentia morborum est, vt morborū quidam afficiant membrū primogenio affectu, quidā per consensum. Affectum primogeni-
Primogenij um appellat Hippo. quādo morbus in parte corporis est, inde pendens & mēbrū essētialiter, & per se causas illi⁹ morbi habet, & habuit in se ipso, neq; aliquo pacto infectum

est consensu vicini, vel cũ quo aliquam affinitatem haberet. Morbus autem per consensum est prorsus huic oppositus, videlicet quando membrum neq; habet neque habuit in se principiũ alterationis, sed cousensit vicino, aut affini. Appello vicinum, quod illi appropinquat ratione loci: affine vero, quod habet cum aliquo aliquã communionẽ, etiam si fuerit remotum. sicut, exempli gratia, vterus consensum habet cũ cerebro, quamuis sit admodũ remotus ratione similitudinis & substantiæ neruosæ. Talis autẽ affinitas membrorum duplex est. Vel enim affinia sunt, quoniam ex vno membro ad aliud deriuatur quædam substantia, quæ vnit ipsa: & talis affinitas est inter cerebrum & ventriculum, quia à cerebro deriuantur nerui insignes, qui inseruntur ori vẽtriculi: & inde est affinitas maxima inter vtrumq;, propter hanc substantiam nerui, progredientẽ & vnientem vnum membrum cũ alio. Alia est affinitas, quæ sola similitudine partium facit consensũ, etiamsi nulla substantia insignis de vno membro ad aliud transferatur: sicut est vesica & vterus muliebris, & sicut sunt mẽbranæ quædam quæ communicant cum cerebro: nõ quia aliqua substantia insignis progrediatur de vno mẽbro ad aliud, sed tantũ, quoniã membra neruosa sũt, est, substãtiæ neruosæ: nõq̃a cõficiãtur ex

Per consensũ.

Membrorũ consensus, vel affinitas duplex.

neruis, sed ex substantia simili neruis. Et cũ nerui oriantur à cerebro, ideo illa membra quæ affinitatẽ habẽt cum neruis propter similitudinem, cum cerebro consensum habent. Nam quæcunque communicant vni tertio, inter se communicant. Et hæc fuit vera sententia Galeni & Hippocratis: quam multi nec intellexerunt, nec aduerterunt.

Ex parte igitur membrorum fit consensu tot modis. Ex parte autem materiæ, & etiam membrorum, quando scilicet de vno membro ad aliud ascẽdit aliqua materia, siue etiam qualitas nuda, quæ per successiuam alterationem partis, post partem tandem accedit ad membrũ læsum, quod patitur per consensum: sicut ponitur exemplum à Galeno de quodam puero, qui patiebatur epilepsiam per consensum à pollice dextri pedis. Ecce hic, quoniam ex parte membrorum, nullus erat consensus inter pollicẽ & cerebrũ, neq; vicinitatis neq; affinitatis, sed erat consensus ratione illius qualitatis ascẽdentis: non quia qualitas ascenderet (neque enim qualitates mouentur, sed mouent) sed dicimus per ascensum qualitatis, vt optime notat Galenus vir doctiss. quoniam alterabatur continue & successiue pars post partẽ donec tandem pars illa frigida communicaret cerebro, & inde excitaretur epilepsia: & iste est consensus ex parte qualitatis tan-

tum. Consensus ex parte materiæ, vel materia illa ē vaporosa, vel corpulēta. Si vaporosa, sunt flatus progredientes de vna parte ad aliam, & sic facientes ægritudinem per cōsensum. Si vero sunt humores, eadem ratio est, quæ de vaporibus. Et sic habetis tres differentias morborum, quæ ab Hippocrate ponuntur: nunc modo accedendū ad signa quibus cognoscuntur. Signa quæ proprie ab Hippocrate in signorum numero recensentur, circa aliquod sensibile versantur, ex quo sensibili indicante ad aliquod intrinsecum occultum progredimur, quod indicatur. Præsupponit autem Hippocrates, vt in cognitione signorum præcedat cognitio signati: non quidē in indiuiduum, sed in speciem. Nisi enim præagnosceremus naturam signati, neq; ex signo aliquid dignosceremus. Signum enim est, alicuius signati impressio, vel accidens: non potest autem ex impressione vel accidente substantia cognosci, quæ imprimit vel signatur, nisi cognouerimus habitudinē inter signatum & signum. Cognoscetur autē habitudo ex substantiæ cognitione signatæ: omnia enim accidentia cognoscuntur ex recta cognitione substantiæ, à qua dependent. sicut enim sunt in esse, ita in recta cognitione: merito dicitur igitur cognitio, quę est à signo, cognitio à posteriori. Est autem signum duplex: quoddam

Consensus ex parte qualitatis & materia.

De signis.

Signum duplex.

vniuersale, quoddam particulare. Signum vniuersale cognoscitur ab intellectu. nam & illud facit demonstrationem: quia aliud signum est particulare sensibile, quod sensu percipitur, & ex hoc sensu percepto repræsentatur intellectui species vniuersalis, pri' concepta & cognita. Exempli gratia prius cognoscitur ab intellectu, fumum sequi flammã, & esse habitudinem quandam vniuersalem & perpetuam inter flammã & fumũ. hæc procognitio, vbi postea sensus percipit fumum, reminiscitur illius habitudinis quæ est inter flammam & fumum: reminiscitur inq̃ no sensus, sed intellectus, & ex eo particulari excitatur vniuersalis cognitio. De hoc igitur signo particulari consideret Medicus principaliter, qui artifex est sensibilis: & huius signi in vniuersali sunt tria loca vniuersalia, vnde nascũtur tanq̃ à fonte omnia signa particularia. & ideo ista loca à plurimis fontes appellantur, quia sunt tanquã fontes, à quibus emanant aquæ. Loca igitur hæc, siue fontes, in triplici genere sunt.

Signorum tres fontes.

1. Actio læsa.

Primus fons sumitur ab actione læsa, secundus ab excrementis, tertius ab accidentibus immutatis. Ab actione læsa signa sunt certissima & manifestissima, tanquã quæ immediato ꝓcedant ab occultis affectib. Perpetuo enim verum est, vt sine aliquo medio si actio est secundum naturam, omnes corporis dispositiones, à quibus illa actio de-

pendet, secundum naturam sint: & si actio fuerit præter naturam, eodem prorsus modo dispositiones quoque corporis erunt præter naturam. Et quoniam supra diximus, tria esse actionum genera, à tribus facultatibus prodeunti , videlicet actionem naturalē, vitalē & animalē, ideo & triplex gen⁹ erit læsionum: ita vt actio læsa, quæ dicitur naturalis , naturalium instrumentorum malas dispositiones ostendat: & actio vitalis læsa simili modo indicabit instrumenta facultatum vitalium læsa esse, & actionem animalem eodem modo certam indicaturam factam esse læsionem instrumentis falcultati animali deseruientibus. Si igitur memoria tenebitis, quæ sint instrumenta naturalia, vitalia & animalia, quæ supra declarauimus: scitis etiam ex actionibus læsis, bene discurrendo, quæ sint instrumenta corporis læsa. Quibus si hoc addideritis, actionem tripliciter lædi, vel vt diminuatur tantum, vel vt omnino auferatur, vel vt corrumpatur & vitietur: sciueritisque præterea actionem diminui, vel auferri a frigore, vel obstructione impediēte transitum spiritus diminui quidē, vbi frigiditas vel obstructio modica erit auferri ab eisdē vbi prorsus inualuerit: corrūpi autem actiones à calido vel à spiritu agitato & moto præter rationē, magisq; ac minus corrūpi, pro vt est calor eius maior vel minor, & pariter agitatio spirit⁹ turbulētior

Actionem tripliciter lædi.

aut ſedatior: vbi inquã hæc ſciueritis, ad perfectã cognitionẽ ſignorũ peruenietis, quæ ab actione læſa ſumuntur. Dico ad perfectã cognitionem, quæ haberi poteſt in vniuerſali, vnde poſtea commodiſſimus ad particularia fit progreſſus. Secund⁹ fons ſignorũ ſumitur ab excrementis. Excrementorum duo ſunt genera: quoddam naturale, vt egeſtio alui, vrina: quoddã ex toto genere præter naturã, vt pus, ſanguis excret⁹, & ſimilia.

Ab excremẽto.

Excremẽta duplicia.

Excrementa naturalia indicant affectus, vbi exceſſerint, vel in ſubſtantia, vel in quantitate, vel in qualitate, vel in hora excretionis. In ſubſtantia, vt ſi egeſtiones alui fuerint biliosæ, ſanguinolentæ, pituitoſæ, & huiuſmodi. In quãtitate, vt ſi illæ eædẽ egeſtiones ſubſtantia quidẽ fuerint naturales, tamen exceſſerint, vel diminutæ fuerint. Quãtitatis menſura ſumitur à quãtitate ciborũ, à mole corporis, à conſuetudine. Mutatur qualitas, quando excrementa hæc vel feruentia fuerint, vel tenuiora, aut craſſiora, aut nigriora, aut flauiora, & huiuſmodi multa. Mutatur hora, vt quando frequentius vel rarius excernimus, vel horis non cõſuetis. Iſtæ oẽs imutationes vbi cõtigerint, indicãt diſpoſitiões naturales eſſe alteratas, illorũ mẽbrorũ, à quibus naturaliter prodeũt: vt egeſtiones alui ita imutatæ, indicant aliquã immutationẽ factam eſſe in ventriculo

Excrementa alui.

lo, aut in inteſtinis, ſiue primogenio affectu, ſiue per conſenſum. Pari modo immutatæ vrinę, ſiue in ſubſtantia, vt diximus de egeſtionibus, ſiue in quantitate, ſiue in qualitate, ſiue in horis excernendi, indicant mutationem in membris factam eſſe, vnde excernũtur: quæ ſunt venæ imediatæ, renes, veſica, tanquam inſtrumenta per quæ excolatur, & effertur vrina: & epar tanquam membrum, in quo ſeroſitas ſanguinis natat, quæ eſt vrinæ materia. Sudor etiam immutatus in iiſdem prorſus, quæ diximus de aliis excrementis, indicat immutationem principaliter factam in membris ſolidis: inde etiam immediate profluit humor faciens ſudorem. Denique ſputum etiam excretum vel tuſſi, vel ſcreatu, affectus indicat membrorum ſpiritualium: quæ ſunt, trachea, ſubſtãtia pulmonis, concauitas pectoris, muſculiq; & membranæ thoracis: ꝙ etiã ſputũ tot modis variatur, ſicut ẽt variari dixim⁹ reliqua excrementa. Hæc ſunt excrementa naturalia, quæ tot modis naturæ terminos egrediuntur. Excrementa autem toto genere præter naturam, ſemper quidem vbicunque apparuerint, indicant membrum illud, vnde excernuntur, præter naturam eſſe diſpoſitum. Sed & illa indicantur, ſicut & naturalia, ex ſubſtantia, ex qualitate, ex quantitate, & temporibus excretionis. Exempli

Vrina. *Sudor.* *Sputum.* *Excrementa toto genere præter naturam.*

gratia, pus excretum in vulnere, in substantia, quoddã deterius, sicut virulentũ: quoddam benignius, sicut album, æquale, sine fœtore. In quantitate etiam, quod moderatum est, secundum loci proportionem vnde emanat, minus malum est, quam illud vel quod minus redundat, vel quod plus æquo deficit. De qualitatibus etiam, quod acrius, quod calidius, quod erodẽs, detestabilius est, quam oppositum. Et sic de horis excernendi: quod quacunque excernitur, & nunquam cessat, deterius quã ꝙ statis & determinatis horis excerni solet: & hæc de excrementis in genere. Tertius fons signorum ab accidentibus sumitur, & primo à qualitatibus, quando vel calores corporis immutantur: vt quod debet esse album, fiat nigrum: vel frigidũ, quod debet esse calidum: vel asperum, quod debet esse leue: vel fœtidum, quod non debet esse fœtidum: vel salsum, aut amarum, quod debet esse dulce, vel insipidum: vel sit ibi sonus præter naturam, sicut rugitus; vel sit ibi motus, qui non debet adesse, vt saltus & vibrationes, quæ sæpe fiunt sub cute & musculis. Vel quando fiunt magnitudines & quantitates præter naturã, vt tumores apparentes in aliqua parte corporis: vel quando fiunt tristes sensationes corruptæ, sicut dolores: vel diminutæ, sicut stupores. Omnia ista accidentia, quæ sumuntur ex omni fere genere prædicamentorum, in-

Pus.

3. Signorum fons ab accidentibus.

Medici studiũm in doctrina signorum per vniuersam vitam.

Signorum diuisio.

dicant affectus corporis præter naturam:in quibus omnibus, ſecundum Hippo.doctrinam, debet ſe exercere Medicus, & ſemper diſcurrere in tota vita ſua applicando vniuerſalia particularibus.ita n.perficitur intellectus,& in optimo philoſophiæ genere verſatur,imo exquiſitiſſ. Philoſophus redditur, & Medicus Æſculapio dignus:vt inde merito diuinus Galenus, lib. ẽt ad id dicato probauerit,eundẽ eſſe & optimum Medicum& optimum philoſophum,& hæc quantum ad fontes ſignorum.Iſtorum aũt ſignorum quædam ſunt perpetua, quædam ſubſequentia, quædam aſſidentia. Perpetua ea,quæ Græcis dicuntur παθογνωμονικὰ:& vbicunque illa fuerint,neceſſario indicant adeſſe talẽ affectum qualem indicant:quia ſemper comitantur illum tanquam vmbra corpus comitatur. Sicut,exempli gratia,dolor pungitiuus ſemper & perpetuo ſignificat, in membro neruoſo & membranoſo eſſe inflammationem,&dolor pungitiuus in latere pleuritici.Signũ vero ſubſequens eſt,ꝙ habet affinitatem cõſignatam,ſed non ſemper:immo quando ſignatum fuerit, ita vel ita diſpoſitum.Exẽpli gratia. pleuriticum non poſſe iacere in latere dolente:hoc n.non eſt ſemper in quolibet pleuritico, ſed vbi inflãmatus fuerit in membrana exteriori tegẽte coſtas.Nã ſi fuerit in interiori,lõge meliꝰ quieſcit in latere dolẽte, quã

in latere oppoſito. nam ſi iacebit in late[illegible] oppoſito, ſuſpendetur inflammatio, & au gebitur dolor. Ecce igitur, quoniam iace[illegible] in latere dolente, eſt quidem ſignum pleur[illegible] tici: ſed ſignũ ſubſequens quoddam genu[illegible] ſignati, & non ſemper omne ſignatum. A[illegible] ſidens vero ſignum eſt familiariſſimum ſi gnato, & quod conuenit omni generi: no[illegible] tamen ſemper adeſt, ſed in aliquo tempor[illegible] vt ſputum in pleuritico. ſpuere enim eſt ad modum familiare pleuritico, & aſſidet il[illegible] tanquam ſignum proprium, nõ tamen ſem per: in principio enim pleuritidis ſæpe nih[illegible] expuitur, & tamen pleuritis adeſt. Prætere[illegible]

Alia Signorum diuiſio.

ſignorum quædam indicant rem præteri tam, quædam futuram, quædam præſentẽ. De his quæ præteritam indicant, licet ab Hippocrate ponantur in cenſu ſignorum, ſicut apparet in primo Prognoſtic. tamen non multum attinent ad medicum negotiũ. Sed præſentia & futura ſunt admodum ne ceſſaria: quæ enim indicant præſentes affe ctus, deducunt nos in certam cognitionem morborum, ſine qua cognitione nullus vn quam inueniet curationem. Futurorum co

Futurorum cognitio cur neceſſaria.

gnitio duo potiſſimum requirit, imo etiam tria. Primo, vt peritiſſimus in arte appareat: ſecũdo, vt ſi forte incidat in lethales ægritu dines, ex futurorum præſagio ſine infamia præmonebit, & hanc vtilitatem maxime ex-

tol-

ollebat Hippocrates in primo Prognost. ertio, ex cognitione futurorũ sciemus prouidere infirmis,& dirigere curationẽ nostrã. liter enim curabimus ægritudinem, quam præsagimus esse breuem; aliter, quam longã; liter, quam breuissimam: & aliter, quam ongissimã: item aliter, quam salubrem: & liter, quam perniciosam. Ita vt quandoq; moneat Hippocrates, in valde lethali ægritudine ne tentandã quidem esse curationẽ: dmonens, vt verbis eius vtar, desperatos solis prognosticis relinquendos esse. quod etiam admonebat Gal. 12. Therap, in lethali ægritudine dimittendos ægros, ne infamẽtur remedia. Loca autem signorum prognosticorum, & signorum indicantium præsentẽ ffectum, sunt prorsus illa eadem, aliter tamen & aliter cõsiderata. Vbi enim signa cõsideramus ad prænotionem, consideramus a in relatione ad magnitudinẽ, siue intentionem vel remissionẽ: videlicet, vtrum sint ntensa vel remissa, benigna vel maligna. Si enim intensa vel maligna, malũ pronunciamus: si remissa & benigna, bonum. Sed in signis prognosticis obseruat Hippocrates dies potissime quos ipse criticos appellat habens enim dies criticos, in quib. apparuerint bona signa, vel etiã mala, certissimum indiciũ facit vel salutis, vel mortis. De his vero alias. Circa curationis artẽ, vnicum erat Hippocratis

Desperati solis prognosticis relinquendi.

Dies critici.

Methodus curatiua, vel

doctrina de indicationibus.

cratis principium: nihil aliud esse curation nisi remotionem contrarii, per contrariam viam. Iste igitur scopus vniuersalis est curat uæ artis, remouere contrarium contrario. I dicatio vniuersalis, quæ dirigit nos ad hun scopum vniuersalem, est, tollere & remouer ex humano corpore quod nocet, & grauite fertur. Ista n. indicatio communissima remo uendi quod nocet, & grauiter fertur, ex amu si respondet illi scopo vniuersalissimo, Con traria contrariis remoueri. Et secundũ quo ille scopus vniuersalis magis aut minus disti guitur, & fit particularis: p̃cise & eodẽ mod etiã ista indicatio distinguitur, & fit particu laris. semper enim correspondet scopus in dicationi, & indicatio scopo, & sunt duo co relatiua. Quanto igitur aliquis magis distin guet scopos agendi, tanto magis distinctas habebit indicationes agendi, & tanto certius aget. Nam actio est circa indiuidua: & iste solus Medicus rationalis appellatur, qui coniungit intellectum sensibus, & à summo deuenit ad infimum, per debita media. Istud est, quod vbiq; conatur Hippocrates docere, & Galenus explicare: & quod nos eos interpretantes, scholaribus profitemur. Vbi igitur secundum Hippocraticam doctrinã ex scopo illo vniuersali, contraria contrariis curantur, & ex indicatione sua, vniuersali correspondente, quę est, nocumentũ remouere,

Scopus indicationi semper respõdet.

ere, quod grauiter fertur: vt possimus omnia recte distinguere, prius erit distinguēdus scopus: si modo verum est, quod diximus, ex distinctione scopi sequi distinctionē indicationum, & ex distinctione indicationū sequi certitudinē operandi. Scopus igitur te distinguitur, qui est, Contraria cōtrariis curari, ex notione: quot modis contraria possint remoueri contrariis.

Distinctio scopi vniuersalis, vnde nascuntur quinque scopi particulares.

Possunt autē remoueri vel in substantia, vel in quanto, vel in quali, vel in tempore agendi, vel in loco: & quamuis substantiæ nihil sit contrariū, non tamen ad hunc sensum accipiemus contrarietatē hoc loco: sed dicimus, præsentiā substātiæ, quæ nocet, opponi eius remotioni. vbicunq; enim est substantia in humano corpore, cum præsentia nocet, eius absentia iuuabit. Et hoc est quod dicimus, Cōtraria contrariis curari in substātia: id est, quando substantia peccat. Substantia autem intelligitur de forma & materia: ac vtraq; istarum distinguitur per indicationē. Nam vbi substātia morbi peccat forma tantum seu qualitate, alteratione tantum remouetur: & ista est sua cōtrarietas. nā forma cōtrariatur formæ. Et hic semper, propter sophistas, substantiā largo modo intelligimus, pro hypostasi vniuscuiusq; essentiæ: sicuti solemus dicere substantiā coloris, substantiā albedinis, substantiā febris, q̄ tamē omnia sunt nomi-

Substantia morbi, considerata in materia & forma.

nomina accidentium. & ita dicemus substantiam morbi formaliter, intelligendo ideam ipsius morbi: sicut alterationem, e qua immediate sequitur nocumentum. ho enim tollitur suo contrario formaliter, i est, alterando ad oppositum. Substãtia autem morbi materialiter intellecta, est ipsa materia immediate faciens morbum: cuius præsentia cum noceat, absentia remouebitur. Et sic habemus duas distinctiones illius primi scopi, cõtraria cõtrariis curantur: iã n. inuenim⁹, primã cõtrarietatẽ esse in substantia formaliter & materialiter: contrarietatem in substantia, formaliter tolli per alterationem contrarii: contrarietatem vero in substantia, materialiter tolli per euacuationem contrariam. Et quoniam istæ versantur circa substantiam, ideo istæ indicationes dicuntur indicare nobis, quid agendũ: ad interrogationẽ autem factam per quid respondetur de substantia, & non de accidente. ista est prima diuisio contrarietatum in operando. Sed vbi inuenimus in substantia quid agendum, oportet postea inuestigare, circa quantitatem actionis, quantum agendum: id est, quousque progredi debeat nostra operatio. Erit igitur hic quoque suus scopus magis distinctus: qui etiam scopus faciet indicationem magis distinctã. Cum igitur iste scopus distinctus sit, reliquum est

vt limi-

vt limitemus quantitatem actionis. intendimus enim pro vltimo scopo agere quãtum licet, & non vltra progredi. Quæ igitur indicatio respondebit huic scopo? Prætermittamus reliquas omnes actiones in vita, quæ sunt infinitæ, & de nostra tantum arte loquamur: videlicet, quid illud sit, quod limitet præcipua actionis nostræ, quatenus in medendo, cum non liceat vlterius progredi. Huius rei indicatio iam non sumitur ab ipso morbo, neque materialiter, neque formaliter consideratur: sed sumitur à virtute patiẽtis, cum suis annexis. Appello annexa virtutis, ætates, regiones, tempora anni, cõstitutiones, consuetudines. ideo enim dicuntur annexa virtutis: quoniam hæc omnia sunt apta augere vel minuere ipsam virtutem. Non licet igitur vlterius progredi in quantitate actionis circa medicationem, quàm virtus patiẽtis cum suis annexis contulerit. Terminus autem huius tolerantiæ est, vt virtus non concidat, sed subsistat. Vbi enim virtus deciderit, sciendum, quantum detrimenti acceperit virtus, tantum excessisse nos quantitatẽ agendi. Omnino enim tantum euacuare debemus, quantum virtus tolerat, & illi confert: tantum abstinere, quantum illi nocet, & grauiter fert. Ille enim scopus bonæ & malæ tolerantiæ, est scopus vniuersalis, & fundamentum reli-

Annexa virtutis.

P quorum

quorum omnium: quo ſublato, remouen-
tur ea omnia quæ ab illo oriuntur. Et hoc
patet, intelligenti iſtum ſcopum agendi, qui
indicatur à virtute, longe fortiorem eſſe pri-
mo illo ſcopo, q indicatur à ſubſtantia mor-
bi materialiter vel formaliter, ex quo indi-
catur nobis quid agendum.

Quod autem ſit fortior, patet: quoniã etſi
indicetur nobis per primum ſcopum eſſe
alterandum vel euacuandum, & iſte ſecun-
dus ſcopus indicatus à virtute prohibeat, tã-
tũ refert, vt illico abſtineam⁹, tanq̃ ſi ab ali-
quo magno principe vel lege immutabili
ꝓhiberemur. & ideo optime dicit Gal. virtu-
tes & facultates animæ eſſe architectas in ar-
te medica: ab illis n. ꝓdire imperium õniũ
actionum Medici, ſicut ab imperio archite-
cti ꝓdeũt omnes actiones fabri. Inter maxi-
mos igitur ſcopos ille eſt, q dirigitur ad vir-
tutẽ, ita vt quandoq; ſolus iſte intendatur à
Medico, reliquis omnib. neglectis: etſi alio-
qui plures inferantur. Sequitur in recta cu-
ratione tertius ſcopus, directus ad qualitatẽ
agendi: vid. quo pacto curatio pfici debeat.
Nõ intelligo iſtud quo pacto ſit agendũ, vt
multi interpretari poſſet pro qualitate, id
eſt, forma agendi: exẽpli gratia, vtrũ ſit cale-
faciendũ vel refrigerandum corpus, vel vrẽ-
dum, aut aliquid tale. hoc n. appello ſubſtã-
tiã agendi, & non qualitatẽ. Sed qualitas a-
gendi hic intelligitur, modus operandi: ex

Qualitatis ſcopus.

mpli gratia, vbi inuenerimus aliquod cor-
us esse calefaciendũ, potest calefieri frictio
e, motu, applicatione rerum calidarũ, actu
el potẽtia taliũ, fomẽtis, emplastris, suffu-
igiis, & reliquis multis huiusmodi. Et itẽ
bi inuenerimus, corpus esse euacuandum,
ossumus euacuare inedia, missione sangui-
is, pharmacia, scarificationib. & huiusmo-
i. Isti omnes dicuntur modi & qualitates o-
erandi; inuenta n. substantia quidditatis a-
endi, quæritur ẽt cõueniẽter modus. Quid
t igitur istud, à quo sumitur iudicatio mo-
orũ? Plura cõueniunt, sed pcipue cõsuetu-
o ægri, proprietates indiuiduales, fortuna
ominis, & reliqua huiusmodi. Prudens n.
Iedicus ẽt hoc nõ negliget: intendit, vt nõ
ntũmodo curet, sed ẽt iucunde & tuto hoc
ciat, ꝙ maxime acquirit à modo operãdi.
bi n. fuerit delicat⁹ aliquis, ꝗ abominetur
etida omnia, vel turbida, aut crassa, neq; a-
quo pacto tolerare possit, etsi cognoscet
Iedicus talia esse q̃ illi maxime expediant:
mẽ nõ ita ineptus est, vt illa exhibeat: imo
utabit modũ, & quæret odorata, limpida
subtilia: vel hæc ipsa fœtida & turbida, si
oterit, alterabit: ita tamen, vt non immutet
es & scopos principales, sed modum tan-
m. Et hoc est ꝙ opt. Hipp. docebat in plu-
nis locis: Parũ deterior cib⁹ & potus, & dã
esse aliquid consuetudini, &c. Inuenie-

Modorum indicatio vn desumenda.

tis etiam sæpissime in praxi quamplurimos qui tales habeant proprietates indiuiduales, vt si eligeretis in illis certum aliquem modum operandi, statim interficeretis. sic ut quotidiana experientia deprehẽdimus nonnullos incidere in maxima symptomata, ex minima etiã quãtitate scãmonii, vel medicinæ scammoniatæ: qualis fuit recitatus à Galeno in 12. Therap. qui ex potu scãmonii incidit in dolorem colicum difficilimum: & ego cognoui plures, qui in syncopin statim incidunt, ex assumptione floris cassiæ: plurimos etiã in acerrimos dolores intestinorum, quod etiam videbitis, qui ex clysteribus simplicissimis in syncopas incidunt. Istæ igitur proprietates indiuiduales sunt valde aduertendæ Medico, & ab illis sumendæ indicationes modorum operandi: ita n. optimi tantum Medici, sed grati & amabiles apud homines efficiuntur, cum maximo honore & lucro.

Proprietates indiuiduales propter quarum ignorationem Auerroes artem Medicã noluit exercere.

De tempore vero operandi, maxima apud Medicos est difficultas. iam n. vidimus, q̃ difficilis sit occasio. Sumitur hæc & iudicatur à morbi tempore, siue in principio, siue augmento, siue in statu aut declinatione fuerit. aliud n. & aliter facimus in principio, aliud & aliter in augmento: & sic de reliquis. De loco aũt, hoc est, quomodo locũ inueniamus, à quo & in quo, aut per quem fiat operatio, hoc

Operandi tempus & locus.

præci-

præcipue indicatur à ſtatu & connexione, ſeu colligantia loci vnius cum altero. A ſitu exempli gratia, ſi in profundo fuerit morbus, vel fuerit in ſuperficie, applicamus remedia vel interius, vel exterius, ſumpta indicatione ab ipſo ſitu. A colligantia vel annexu: vt ſi morb⁹ fuerit in gibbo epatis, prouocamus vrinam, propter colligantiam illius partis cum vena concaua deſcendente: ſi vero fuerit in concauo, ventrem ſoluimus, propter colligantiam concauitatis epatis cum ventre, mediantibus venis meſaraicis. Iſta ſunt quæ attinent ad ſcopos generales operandi, qui quidem ſunt genere quinq;, vt patet ex ſupradictis: primus, qui intendit quidditatem agendi: ſecundus, quantitatẽ: tertius, modum ſeu qualitatem: quartus, occaſionem operandi: quintus, inuentionem loci conuenientis. *Operandi ſcopi 5.*

Inſtrumenta autem generalia, quibus vtitur Medicus in omnibus illis ſcopis perficiendis, tria omnino ſunt: Diæta, ſeu ratio victus: pharmacia, & chirurgia. Atque hæc eſt idea, typus & forma breuis totius doctrinæ Hippocraticæ, quæ circa tria propoſita principia verſatur: ſubſtantiam videlicet humani corporis, facultates & alterationes, vt initio poſueramus. *Inſtrumenta 3.*

FINIS.

DE SVCCO MELANCHOLICO ET ATRA BILE, IOANNIS BAPTISTÆ MONTANI Philoſophi ac Medici excellentiſſimi ſententia.

Melancholia duplex.



ELANCHOLIA quædam naturalis, quædam non naturalis. Naturalis eſt, à Galeno proprio nomine ſuccus melancholicus appellatus & eſt pars fecuenta, ſeu fex & ſedimentum ſanguinis, quod Græci ὑπόστασιν vocant. Non naturalis, ab eodem Gal. atra bilis dicitur. & licet hæc nomina quandoque confundantur, dũ tamẽ proprie loqui volum⁹, ita ſunt diſtinguenda. Sicut autem ſuccus melancholicus ſemper eſt fex & ſedimentum ſanguinis, ita atra bilis ſemper fit per aduſtionem alicuius humoris: & per hoc diſtinguitur maxime melancholia naturalis à non naturali. Succus igitur melancholicus vel melancholia naturalis, ita appellatur quoniam intenditur à natura, & habet omnes cauſas naturales quæ diriguntur ad finem intentum, neq; redundant, neq; deficiunt:

ciunt: quamuis iste excessus vel defectus, sũt in aliqua latitudine, intra q̃ cõsistit grad⁹ naturalis melancholiæ. Causæ igitur sunt, efficiens, materia & finis, quas postea sequitur forma. Efficiens, extrinsecum, vel intrinsecum. Extrinsecum est ergo cibus, & potus, aer, exercitia, motus animi, somnus & vigiliȩ inanitio & repletio. istæ n. õnes causæ alterantes si excesserint, acuunt calorẽ intrinsecum, & ita aduruntur humores: vnde postea melancholia naturalis nõ generatur, sed ei⁹ loco adusta & nõ naturalis. Si vero defecerint, calor minuitur: & ita, quantum deficit de naturali melancholia, tantum de pituita redundat. Si ergo naturalis melancholia generari debet, omnes caussas alterantes, mediocres tẽperatasq; esse oportet: quod quidẽ commune est omnibus humoribus. Efficiens intrinsecum, quod etiam maxime proprium est, & immediatum, est ipse calor innatus: qui si fuerit mediocris & temperatus, quantum in se est, generat melancholiã & omnes alios humores naturales, & quales & quantum oportet. Ideoq; in errore sunt, qui putant, sanguinẽ tantum generari à calore tẽperato. Isti n. nõ distinguũt, neq; differentias intuẽtur humorum naturalium, & humorũ nõ naturaliũ. õnino n. ꝙ naturale est, causas habet naturales: calor autẽ nõ tẽperatus, quaten⁹ intẽperat⁹, eatenus naturã excedit,

Causa.

Efficiens.

Omnes humores à calore temperato generari.

dit, & eatenus omnes operationes deteriores efficit: & quanto magis deteriores, tanto magis à natura recedentes: & econuerſo, quãto magis eſt tẽpatus, tanto magis naturales efficit operationes. Et conſequenter, humores magis naturales fient, à calore magis naturali ſe habente. talis autem eſt calor maxime temperatus: & hæc de cauſa efficiente. Cauſæ materiales & ipſæ extrinſecæ, & intrinſecæ. Extrinſecæ ſunt, alimenta: quæ ſi melancholiam naturalem, in quali & quanto generare debent, oportet & ipſa ſubſtantia & qualitate temperata eſſe. nam ſi calidiora fuerint, plus de bile & de humorib. aduſtis ex illis fiet: ſi frigidiora, pituita generabitur. Craſſioris tamen ſubſtantiæ alimenta plus generant de fece, quam generari oporteat: præcipue ſi cum craſſitudine etiã ſiccitatẽ habuerint: ſicut ſunt legumina, caſeus antiquus, caro bubula, lepores, & reliqua huiuſmodi. Materia intrinſeca eſt, ſanguis, id eſt maſſa ſanguinea: quæ & ipſa ſubſtantia & qualitate temperata eſſe debet. nã vbi aliquid vel in qualitate vel in ſubſtantia exceſſerit, vel defecerit, eadem omnino abſurda ſequentur, quæ de alimentis vel materia extrinſeca diximus. Hic vnum animaduertendum, in materia ad humorum generationem neceſſitatem inueniri, quæ appellatur ab Ariſt. 1. de Partib. anim.

Materiales cauſæ.

cap.

ap.1. necessitas materiæ vel necessitas sup- positionis: quæ quidem necessitas ordinatur, refer- tur, vnitur cum necessitate finis quæ necessitas fi- nis, est necessitas absoluta, & non ex supposi- tione. ad quam necessitatem omnes actiones & alterationes agentis in materia referun- tur, & reducuntur. Materia igitur humorum habet necessitatem, quæ reducitur ad neces- sitatem finis, hoc modo: Necessarium erat (exempli gratia) vt succus melancholicus in humano corpore generaretur, propter cau- sas paulo post dicendas. Ista necessitas dici- tur, necessitas finis. Modo, si succus melan- cholicus generari debeat, oportebat inue- niri materiam quæ esset conueniens, habe- retque & ipsa propriam necessitatem, quæ fini coniungeretur. Ergo succus fuit extra- ctus à natura ex alimentis solidioribus: in quo, sicut contingit necessario in omnibus succis extractis, quatuor esse partes dissimi- les constat; leuem videlicet, quam florem Galenus, & Auicenna quasi spumam appel- lauit; alia est pars aquosa, tertia crassa & fe- culenta, quarta perfecta & vltime concocta. Quoniam igitur quatuor istæ partes in mas- sa sanguinis erant necessariæ in corporis nu- tritione, sicut optime probauit Hippoc. & Gal. in toto 1. lib. de Humana natura: ideo prudentissimus rerum conditor excogita- uit materiam talem, in qua necessario qua-

Necessitas materiæ & finis.

tuor illæ partes inuenirentur. & hæc necessitas fuit materiæ, quam ad finis necessitatem coniungi diximus.

Finalis causa. Hæc de causa materiali satis. Finalis autem causa est duplex: altera essendi absolute, altera bene essendi. Necessitas absoluta essendi in generatione succi melancholici fuit, quoniã ex hoc præcipue succo plurimæ partes corporis erant alendæ: sicut sunt omnia ossa, & ipse lien. Bene essendi necessitas fuit quoniam & fames inde excitatur, accedente portione huius succi ad ventriculum: & quoniam sanguis & spiritus cum calore naturali firmantur ab hoc succo, & contemperantur, alioquin siue hoc humore spiritus essent fugaces, & non consistentes (quod facile videmus contingere in his, in quibus plurimum de sanguine & bile, minimum de succo melancholico reperitur. tales n. omnes, licet ingeniosi sint, sunt tamen leues, instabiles, & qui nunquam in eodem proposito perseuerant: scilicet propter leuitatem & fugacitatem suorum spirituum) ideo optime assertum est ab Aristotele 30. sect. Proble. 40. Omnes sapientes fuisse melancholicos. Iudicium n. & prudentia non in motu, sed quiete perficitur. Vnde & quarto Physicorum idẽ Aristoteles dicebat: Animã inquiet ex residentia prudentem fieri. Quies autem & residentia in spiritibus, soli succo me-

Sapientes omnes melãcholici.

lan-

lancholico accepta ferri debent. Ex his apparet, quid sit succ⁹ melãcholicus naturalis: habetur n. definitio ex recta cognitione causarum. Erit igitur succus melancholicus, humor ex crassiori parte alimenti factus, calore naturali, concoquente cibum in epate, ob plurimos vsus vitæ necessarios. Ex recta autē cognitione huius definitionis, q̃ habetur per suas causas, sequitur cognitio omniũ affectuũ & accidẽtium, quæ cõsequuntur essẽtiã huius humoris: ꝙ quidem est communissimum in omnibus aliis rebus naturalibus, quorum essentiæ & rationes noscuntur. In primis igitur, succum istum colore nigrum esse, sequitur ab essentia cognita: est n. terrestris & crassus. Ergo minimum habet de diaphano, & consequenter necessario niger: si modo meministis, quæ de causis colorum diximus, diaphanum esse materiam colorum. Neque oportet ostendere, substantia crassum esse, cum ipsam terrestrem esse diximus, & sedimentum sanguinis. Est præterea sapor acerb⁹, non dulcis, neq; acidus, quẽ admodum opinabatur Auicẽna. per hoc enim distinguitur à Gal. ab atra bile: quia atra bilis acida est, sed succus melancholicus acerbus, quem saporem Arabes Ponticum appellant. Consequitur & ratio huius acerbitatis, à prædicta definitione: sicut & reliqui omnes affectus, & ab essentia

Succus melancholicus.

Distinctio succi melancholici ab atra bile. Sapor ponticus.

tia

tia recte cognita. Si enim ſuccus terreſtris
eſt, cui nulla acceſſerit aduſtio, ſed à calore
tantum naturali factus, ſeparatus à reliquis
humoribus tenuioribus; ſequitur, quod ha-
beat ſaporem acerbum. Meminiſtis enim e-
Sapor acerbus vnde. orum quæ diximus de cauſis ſaporum ex Ga-
len. Saporem ſcilicet acerbum generari, vbi
materia terreſtris dominatur in mixto, ſine
aliqua aduſtione accedente. Sequitur enim
ex eadem ratione definitionis, hunc ſuccum
frigidum eſſe, & ſiccũ. terreſtris enim eſt, ſi-
ne aduſtione aliqua. Et ita videtis, quemad-
modũ ões affectus & accidentia rei naturalis
conſequuntur, & oſtenduntur ex definitio-
ne & ratione illius rei recte cognita: contra
imperitos plurimos, qui opinantur, definiti-
onem accidentis eſſe medium in demon-
ſtratione: tum peſſime intelligentes Ariſto-
telem: tum non videntes hoc ſaltem, quod
ex ſua opinione ſequeretur, in qualibet de-
monſtratione eſſe petitionem principii. Et
hæc ſatis de ſucco melancholico natu-
rali.

Atra bilis quid, & quomodo generetur. Atra vero bilis, quæ eſt melancholia non
naturalis, & quæ proprie appellatur à Gal. a-
tra bilis, ad differentiam naturalis, quæ ab
eodem ſuccus melancholicus vocatur, ſicut
ſupra declarauimus, habet prorſus omnes
cauſas oppoſitas, & merito. nam omnino ſic-
ut res naturalis cauſas habet omnes natu-
rales:

ales: ita res non naturalis, habet causas vel omnes, vel aliquas non naturales. Atra vero bilis contingit vel à materia, vel ab agente, vel ab vtroque, non naturaliter se habente: materia extrinseca, vel intrinseca. Extrinseca, vt si cibi offerãtur humano corpori calidiores & ſicciores, vel putreſcibiles, vel peſsima aliqua & extranea qualitate infecti. Ex his enim, propter diſpoſitiones materiæ, etiam à calore tẽperato generabitur aduſtio, & ſuccus iſte terreſtris per aduſtionem fact⁹, nõ naturalis, quẽ atrã bilẽ appellari dixim⁹. A materia intrinſeca, vt ſi ſanguis vel craſsior, vel calidior fuerit quã oporteat: ex hoc enim ſanguine generatur atra bilis, ſicut videmus contingere in corporibus calidis & ſiccis, qui (ſicut Galenus dicebat ſecundo Artis paruæ) in tempore paracmaſticæ ætatis efficiuntur malancholici. Ab agente autẽ nõ naturali fit atra bilis, pariter extrinſeco, vel intrinſeco. Agẽs extrinſecũ vt aer admodũ calidus: vnde. Aegyptii, & quicũq; degũt ſub tertio climate, & in calidioribus regionibus, hoc ſucco plurimum redundant. Vigiliæ etiam, & animi moleſtiæ validaq; exercitia, efficaciſſimæ cauſſæ agentes ſunt, vt inde atra bilis multiplicetur: quod quidem quotidiana experientia comprobatur. Plurimos enim iugiter videmus ex nimiis vigiliis, ex nimiis motionibus tum animi tum cor-

poris, fieri melancholicos. Agens autem intrinſecum, eſt ipſe calor intrinſecus, igneus vel naturaliter, vel ex morbo: naturaliter, vt ſunt temperaturæ calidæ & ſiccæ ex morbo, vt propter febres, propter phrenitides, vel aliquas magnas inflammationes intrinſecas. Ex his enim omnibus multiplicatur humor aduſtus. Et ſic habetis cauſas humoris melancholici aduſti, quæ & ipſæ ſunt non naturales: & omnino ſunt hæ cauſæ, vt diximus, vel materia, vel efficiens. Vbi enim efficiens, vel materia, non ſe habuerint ſecundum naturam, neceſſario non attingitur finis intentus à natura: tunc ille effectus productus, non eſt naturalis.

Atra bilis definitio.

Ex quo ſequitur, ex mala diſpoſitione materiæ, & ex imbecillitate agentis neque ad formam neque ad finem perueniri, quæ à natura intenduntur. Atque ex his iam habetis, quid ſit atra bilis. Eſt enim humor nō naturalis, per aduſtionē genitus ex craſſa & aduſtibili materia, per calorē adurentē: ex qua definitione paſſiones conſequũtur, & oſtenduntur. Primo enim ſequitur, hunc ſuccum eſſe craſſum. eſt enim aduſtus: & omnia aduſta, craſſa & terrea ſunt. Sequitur etiam, ꝙ ſit colore ater, ob eaſdem rationes quas in ſucco melancholico naturali dicebamus. eſt enim terreſtris, plurimumque habens de opaco, & minimum de diaphano: ergo niger. Sequitur deinde, ipſũ frigidæ quidē &

ecæ temperaturæ esse, sed non absolute, vt e succo melancholico dicebatur: imo plurimas partes habet calidas, propter adustionis impressionẽ, sicut contingit in omni cinere. Itẽ sequitur, ipsum esse sapore tũ acri, im acido. acri, quoniã partes terreæ adustæ int, & attenuatæ, propter vim plurimi calo s, vnde acrimonia generatur: sicut contint in pipere, & omnibus aromatib⁹ in quib⁹ t sapor acris, ꝓpter plurimã adustionẽ factã in partibus terreis attenuatis. Aciditas ero inest, quoniã serũ, vel aquositas huius umoris in adustione, q̃ fit in partibus terre, interim ebullit, & p ebullitionem transpit calidũ. & hæc causa est im̃ediata aciditas: vt videmus ex sentẽtia Galeni, & ẽt Auicẽ æ. Hoc aũt ita fieri, quotidie experimur in ino acescente. quanto n. vinũ fortius valiiusq; est, tanto magis duos illos sapores acuirit, aciditatẽ & acrimoniã: quoniã in eo im maior ebullitio, tum maior adustio fit. x adustione aũt acrimoniam, ex ebullitioe aciditatem fieri, diximus. Sequitur prærea ex eadẽ definitione recte cognita, cur ra bilis ferueat sup terrã, abradatq; eius sup ciẽ, & erodat partes quibus adhæret. fert n. quoniã ingreditur meatus, existentes superficie terræ: & ꝓpter subtilitatẽ quandã suarũ partiũ, penetrat omnes anfraus: ad quos alii humores crassiores & frigiores penetrare non possunt: & cũ subito & fertim penetrẽt, spirit⁹ inclusus in illis mea

Aciditatis causa

Causa ebullitionis atræ bilis fusæ super terram.

tibus reluctatur, exagitatur, & quærit exit
& in ea reluctatione & agitatione sequitu
ebullitio. sicut expresse videmus, quand
bullit aqua in lebete: fit enim illa ebullit
ex spiritu reluctante cum humido, vnde e
iam plurimæ eleuantur ampullæ. Ista igit
est causa ebullitionis atræ bilis supra terram
Cur vero abradat superficiem eiusdem, &
leuet tanquam ramenta & crustas: ratio e
quoniam facta ebullitione, & erumpen
spiritu feruenti, trahit secum humidum,
dicitur 4. Meteororum. Vnde superfici
quæ alioquin modicam habebat humidit
tem, priuata humido continuante abrad
tur, & separatur, quod frequenter videmu
etiam in cute animalis, vbi propter pustul
scabiei, vel alias similes exiccata fuerit cut
cula. eleuantur enim & decidunt tanqua
squamæ. & hoc semper fit in morbo que
vitiliginem appellant: vnde & lepra dict
quoniam à cute lepides, id est squamulæ d
cidunt. Erodit autem, quoniam partib. cra
sis, terreis, adiunctæ sunt partes attenuat
adustæ & acres. & merito istarũ partiũ subti
um, adustarũ, acrium, fit penetratio, ebull
tio, calefactio & exiccatio, à partibus terre
crassioribus, fitque mora in loco: & ration
horum duorum maxima fit impressio. Vn
de necessario sequitur corrosio, putrefacti
sici

ſicut apparet in cancris vlceratis, in vlcerib. quæ phagedænas vocant, in elephantiaſi & omnibus aliis morbis, ab hoc peſſimo humore pendentibus. Et hæc ſatis de vtraque melancholia, tam naturali, quam non naturali.



FINIS.



CLARISSIMO VIRO D. MARTINO DREMBECKIO artis Medicæ doctori eximio, compatri suo carissimo S.

LEGI disputationem tuam de bile, in Academia Lipsensi habitam: & cum intelligerem te desiderare sententiam Montani de atra bile, ac clarissimus vir PHILIPPVS BECHIVS, communis amicus noster, Basilea ad me perscriberet, nostra Montanica nondum typis esse descripta: adiicere volui disputationi Montani de atra bile, eius sentētiam de generatione pituitæ. De meis autem Montanicis verū est, quod Teutones nostri ferunt, τὸ ταχὺ ἐπισφαλὲς εἶναι. Sunt enim exiguę & impolitæ delineationes rerū magnarum, nullis coloribus ornatæ, quæ res ipsas simpliciter atque breuiter referunt: ac prodesse quidē magis tyronibus, quam nomen nostrum illustrare possunt.

Se-

Sed si sciuissem ad mercatum autum nalem non proditura, exornassem maiori studio & diligentia, ac locum de coctione magna ex parte mutassem. Nunc autem studiosi, nostrum studium, vt arbitror, boni cõsulent, si cum eorum rationibus, qui Montani scripta edunt, ista conferent. Addidi & sententiam de alimentis: atq; hæc in nominis tui mentione prodire volui, vt publice testarer omnibus me eam coniunctionem atq; amicitiam quæ inter nos est, perpetuam esse velle. Bene vale: Vratislauiæ, ex nostris ædibus: 20. Octob. Anno 1554.

* *
*

IOANNIS BAPTI STÆ MONTANI SENTEN tia de Generatione pituitæ: contra eos qui affirmant, pituitam in ventriculo generari.



VI differentiam inter pitu tam naturalem & non natu ralem ignorat, fateatur se n scire eius generationem & v sum. Primo autem hoc statu endum est, quod probat Hippocrates i primo libro de Natura humana, & Gal nus in Commentario in eundem librum tum in libro de Elementis: In quolibet co pore, quantumuis sano, semper esse qua tuor humores, ex quibus constituitur & nutritur animal: sanguinem, pituitam, bi lem & melancholiam. qui humores vniun tur inter se quadam æqualitate iustitiæ. & tota hæc massa in venis existens, appellatu à Medicis sanguis: ita vt sint ibi quatuor hu mores, sanguis tamen hoc totum nomine tur. Sed sanguinis nomen dupliciter capitu apud Medicos. Vno modo, prout est vnu humor singularis & simplex, distinctus à re liquis tribus. Alio modo, pro tota illa massa

sanguis igitur hoc modo intellect⁹, generatur in epate, & transmittitur ad singulas partes corporis, nutrimenti gratia. Est autem hic sanguis, secundum Galenum, ex chylo generatus: qui chylus nihil aliud est, nisi succus extractus ex cibo per primam coctionē. Quando igitur ventriculus & epar secundũ propriam naturam se habuerint, & cibaria fuerint in quantitate conueniente, & in qualitate optimi alimenti, & quod minimum excrementorum habet, tum fit optimus chylus in ventriculo: qui distributus ad epar, facit optimum sanguinem secundo modo dictum: in quo sunt necessario illi quatuor humores, si Hippocrati & Galeno credimus. & isti quatuor humores chymi dicuntur apud Græcos: sicut iste succus, qui in ventriculo generatur, dicitur Chylus. Ex chylo igitur fiunt chymi, id est humores: intelligendo semper humores naturales, id est ipsum sanguinem. Ergo non prius erunt isti chymi, vel iste sanguis, nisi prius chylus vertatur in chymum, id est in humorem. Quod si contigerit, vt in ventriculo nō generetur chylus, non poterunt vllo pacto in epate postea generari chymi naturales, sed alii quidam præter naturam. Quando igitur ex cibis ventriculus efficit illum succum qui dicitur chylus, imperfectum, vel præter naturam, estq; aut crudus, aut semicoctus, pro-

Chymi.

Chylus.

pter imbecillitatem caloris concoquentis. & tunc iste succus semicoctus appellatur à Galeno & Medicis, tum pituita præternaturalis, tum absolute crudus humor: qui frigidus & humidus est, colore albus, sicut pituita naturalis, quę est pars sanguinis, nec differens ab ea, nisi ratione cruditatis. Vnde si ista pituita, vt crudus humor, distribuatur ad epar, & venas naturaliter se habentes, cōcoquitur & mutatur tandē in materiam sanguinis. Propterea natura non fecit huius excrementicię pituitę aliquod receptaculum: quoniam est apta vt vertatur in sanguinem. Seruatur igitur tum in ventriculo, tum in venis, pro quodam thesauro alimenti: nisi tantum excreuerit, vt vel suffocet, vel putrescat, vel obstruat. At si chylus ille in vētriculo nō permaneat crudus, aut semicoctus, sed putrescat, aut vratur, aut alio modo corrumpatur: tunc generat humores vitiosos, & præcipue bilem æruginosam & prassinam, vel isath oidin, & tandē nigrā & adustā, quæ sunt tanquam venena. Quando igitur Galenus in libro de Atra bile, dicit pituitam ex cibis pituitosis & excremēticiis & frigidis primo generari in ventriculo, deinde distribui ad epar, & verti in sanguinem: haud dubie, vt patet ex discursu, intelligitur de pituita non naturali. Propterea non dixit absolute, pituitā primo generari in ventriculo, sed ex cibis

Bilis & pituita generatio.

pitui-

pituitosis. Sic etiam secundo de Facultatib. naturalibus ait, pituitā crudā intelligi, quando effugit concoctionem, quæ est in venis & epate: non eam quæ est in ipso ventriculo, addens: Quod si effugerit coctionē, quæ est in ventriculo, nondum esse chymum appellandum, prout humor est purus sanguis. Est igitur illa pituita, q̄ in ventriculo generatur, non naturalis. Nam quando in prima coctione cruda permanet, si distribuatur ad epar & venas, non erit vitio epatis, aut venarum, si cruda permanserit; sed vitio primæ coctionis. Cruda igitur dicitur pituita in venis & hepate, quando vitio ipsius epatis non potest habere formam pituitæ naturalis. Et iste est sensus verborum Galen. Autoritates igitur male intellectæ, cogunt homines errare, & errores ex erroribus gignere.

1. Ex his manifestum, tres esse species pituitæ. Naturalis est pars sanguinis, ex quo corpus primo & naturaliter nutritur: & hæc nō generatur alibi, nisi in epate & venis. *Pituita tres species.*

2. Non naturalis, quæ est media inter naturalem & præternaturalem, potest fieri sanguis, non pituita naturalis, cum à ventriculo transit ad epar, & coquitur. & dicitur non naturalis, quia adhuc non est pars corporis, nec aliquod proximum nutrimentum. Est tamen in potētia: vt cum dicimus, somnum,

vigiliam, & cibum esse res non naturales, ad differentiã rerum naturalium & humorum. Ista pituita habet locum in ventriculo, & generatur ex cibis pituitosis. Decipiuntur igitur illi, qui dicunt; Pituitã generari in ventriculo. Ergo omnis pituita generatur in vẽtriculo, faciendo ex indefinita vniuersalem.

3. Pituita præternaturalis, neq; est pars corporis, neq; nutrimentum, sed rebellis omnino, vt acida, salsa: estq; purũ excrementum, & generatur in quacunq; parte corporis. Videndæ igitur sunt sententiæ autorũ, de qua pituita loquantur. Vt cum Galen. dicit, Pituita generatur in ventriculo ex cibis pituitosis: de secunda specie intelligatur. Cum dicit secundo de Naturalib. facultatib. pituita cruda, quia effugiat coctionẽ: ideo crudam appellat, non quia ventriculi coctionẽ effugit (tum n. non appellatur humor) sed quia transmissa ad epar, non est conuersa in sanguinem, sed mansit cruda; velut in ventriculo. Dicitur igitur cruda, non quia effugiat primam coctionem, sed secundam. Est quidem cruda, cum est in ventriculo: sed non cruda absolute, quia ista cruditas illi est naturalis. vt chylus non dicitur crudus, neque pituita in ventriculo dicitur cruda: sed nõ naturalis. Quando vero distribuitur ad epar, & non concoquitur, tunc cruda dicitur.

DE

)E COCTIONE ET PRÆ-
paratione humorum.

)RIVS autem de coctione & præparatio-
· ne humorum agendum est; siquidem
mnis euacuatio ante coctionem, siue à
atura, siue à medicamento fiat, mala
que laboriosa censetur. Id quod à signo,
usis atque autoritate colligitur. Signa de-
arat Galenus in Comment.4.par.22 Apho-
l.Et non dubium est, cum natura cogitur e-
acuare ante coctionem, quin hoc vel pro-
ter multitudinem, vel propter malitiam &
signem putredinem, vel mordacitatem hu
oris fiat. inde & causæ patent. Si enim hu-
ores sunt acres, & materia non adæquata,
æque præparatæ, excoriant & erodunt: dũ-
ue adhærent, inflammationes pariunt, & sa-
as partes lædunt. Si materia est crassa, nec
pulsioni idonea, sequuntur tormina, & a-
mi deliquia. Denique turbatur concoctio,
uæ quieto & moderato calore perficitur.
Autoritas autem Galeni in lib. Quos pur-
are oporteat, & in Aphoris. Concocta
edicari, & c. in conspectu est. Cum vero ex-
ectamus coctionem, natura primo præpa-
t, deinde concoquit, & vtile ab inutili sepa-
t, & tandem ad expulsionem nocui & inu-
is vires suas conuertit. Cæterum coctionẽ
on tantum in chronicis, verum etiam acu-

tis ægritudinibus expectamus. In chronic[...]
quidem secundum Galeni autoritatẽ, sępe[...]
in acutis, non semper. Nam cum materi[...]
turget, id est furiosa est, & in vno loco sta[...]
re nescit, sed modo huc, modo illuc, fertu[...]
nõ est expectanda concoctio, verum hum[...]
res statim facta leui præparatione euacuan[...]
di. Sic quoque in morbo chronico, si virtu[...]
non possit constare tamdiu, donec fiat cõc[...]
ctio, etiamsi materia frigida sit, & crassa: ta[...]
men moderate euacuãda, ne virtutem, lice[...]
non sit furiosa, opprimat.

Euacuatio ante concoctionem quã do concedatur.

Duo itaque nobis permittunt ante cocti[...]
onem euacuare. Primo, quando materia es[...]
furiosa: secundo, cum materia ante tempu[...]
coctionis virtutẽ oppressura videtur. Hic ve[...]
ro non loquor de purgatione τῶν ἐκκοπροτικῶν[...]
verum καθαρκτικῶν, quæ à longinquo trahunt[...]
& quadam vi mala prædita sunt, nec tuta cẽ[...]
sentur. Neq; enemata mitiora ꝓhibeo: nec[...]
ea medicamenta quæ partim præparant, pa[...]
tim tuto & sine violentia euacuant, si recta[...]
ratione adhibeantur.

Coctio humoris.

Coctionem autem humoris appello,[...]
quandam æquationem & separationem vti[...]
lis ab inutili, calore naturali deducto ad mo[...]
derationem. Est n. cõcoctio, adæquatio hu-

Concoctio quid.

midi cum sicco per operationem caloris na-
turalis. Efficiens eius est, calor naturalis mo-
deratus. Ideoque cum is immoderatus
est, vt in febrib. ad moderationem quan-

am refrigerantibus deducẽdus. Hoc vero
um medici syrupis & aliis modis faciunt,
el etiam debilẽ calorem externis fomentis
uant atque excitant, concoquere appel-
nt: etiã si concoctio ꝓpriũ naturæ sit opus.
Subiectum concoctionis, est humidum
i sicco. Terminus, adæquatio illius quod
oquitur. Etsi autem vna tantum sit conco-
tio, tamen secũdum subiecti varietatem &
iuersitatem variatur.

Si enim subiectum, in quod agit calor na-
uralis, est secundum naturam, tum dicitur
oncoctio proprie. Et huic opponitur cru-
um, simpilciter dictum. Si præter naturam,
ppellant coctionem metaphoricam: vt cũ
enuis humor, qui delabitur in pectus, iam
rassitiem debitam acquirit, pituita & bilis
d benignum rediguntur. In pituita enim
ac concoctione aqueũ resoluitur, fœtidũ-
ue expellitur, & reliquum naturæ conue-
iens redditur. In bile, ꝙ nimis acre & subtile
st, ad quandam æqualitatẽ moderatam de-
ucitur. Semper igitur hæc concoctio ad iu-
tam crassitiem & moderationem humores
educit, & vtile ab inutili separat, habetque
imilitudinem cum vera coctione.

Tertia est analogica, quæ assimilatur veræ
coctioni: quia terminatur ad aliquid, quod
non est præter naturam. Et dicitur matura-
io, seu suppuratio, quæ fit à calore innato.

Nam

Nam etſi calida&humida foris adhibentur tamen calor extrinſecus non concoquit,niſi identificatus,vt ita loquar,cum calore naturali. Vt vero proprie dicta concoctio , nutrimentum in ſanguinem mutat , & ſeparat bonum à malo:ſic in ſuppuratione,calor naturalis ſemper in optimo progreſſu eſt, & ad formam,quam poteſt inducere conuenientiſſimã,redigit,ac pus efficit , cum in ſubſtãtiam membri conuertere nequit ; tollit etiam fœtorem , & dat formam partim naturalem,partim non. Hoc vero præſtat calor naturalis contemperatus. nam auctus & vitioſus,putredinis maioris autor eſt. Atque hæc quoq; concoctio ad iuſtam craſſitiem humori inducendam progreditur: & malũ, videlicet ichores,remouet,

Ex his apparet,Maturationem ad concoctionem eam quæ eſt crudorum humorum, referendam eſſe.Nam in hac quoque efficiens eſt,calor naturalis ; ſubiectum,humidũ cum ſicco.Sed adæquatio non eſt ea,quæ in coctione , etiamſi ſimilitudinem quandam habeat.

Porro eruditi etiam Medici ſæpe confundunt hæc vocabula concoctionis , maturationis & præparationis. Vt de diſtributione (qui error ex incommoda Auicennæ interpretatione ortus eſt) nihil dicam:ſed hic doce-

cere

cere tyrones, non reprehendere quenquam aut odiose disputare constitui. Præparationem vero, etsi quidam attenuando tantum fieri existiment, tamen cum subtile ad moderatam substantiam deducimus, crassum vero attenuamus, viscidum abstergimus & incidimus, recte præparatio, non concoctio dicitur. Nam concoctio, quæ proprie crudorum est humorum, neque attenuando neque incidendo procedit. Est autem cruditas, non absoluta alia per defectum, alia per excessum. Per defectum, sunt humores pituitosi : per excessum, corrupti & assati, collatione facta ad sanguiné. Crudi per defectum, sunt coquendi. Crudi per excessum, contemperandi ante euacuationem, & nullo modo prius mouendi. Ea vero contemperatio, concoctio quoque appellatur: & sic bilem & melancholicum humorem alias concoqui, alias præparari dicimus. Nec rebus recte cognitis de vocabulis est contendendum, & temere doctorum scripta reprehendenda. Non tantum autem materia, sed & viæ sunt præparandæ: vt in missione sanguinis, expurgamus leui pharmaco, vel glande, aut enemate, ante missionem, primas venas, ne materia cruda vehatur in venas & epar. Vbi enim concoquere non licet, præparatione saltē, quæ attenuātibus,

tibus, aperientibus, & c. vtendum est : a
iis quæ ventrem leniunt, & non tantu
materiam faciliorem, sed vias etiam re
dunt, vt diuinus Hippocrates sæpe monet.



FINIS.



SEN

SENTENTIA EXCELLENTISSIMI MONTANI, διαιτητικὴν demonstrans, siue de alimentis & victus ratione, à Ioanne Cratone Vratislauiensi Medico exposita.

PRÆCIPVAM partem curationis esse in Methodo ostendi, ægris præscribere rectam victus rationẽ, & secundum eam corpora humana fidei & curationi nostræ commissa seruare. Nam cum in curatione prima ac præcipua sit indicatio (quemadmodum ostendi) conseruandæ virtutis, id quod fit recta victus ratione: manifestum est, Medicos huius doctrinæ inscios atque negligentes, magno cũm ægrorum discrimine hanc diuinam artem exercere. *Curationis indicatio primaria quæ sit.*

Primo itaq; vt monui, cũ offertur nobis æger virtus cõsideranda est. Ibi haud dubie tẽperaturæ quoque rationem habebimus.

Secũdo, humores boni & mali in corpore obseruandi.

Tertio, essentia morbi inuestiganda.

Hic vero oportet Medicum naturam rerum non indices librorum consulere.

Est autẽ virtus, æqualitas quædam, consistens in spiritibus, & solidis membris. Nam *Virtus quid.*

cum

cum ſpiritus vel membra ſolida in quanti-
te aut temperatura deficiunt, virtus conſi-
re nequit.

Virtutis conſideratio.

Virtus vel eſt valida, vel debilis. Valida v
tus debet conſeruari; id quod fit cibo mec
ocriter adhibito. Virtutis autem debilis gr
dus conſiderandus eſt, & ſecundum eu
victus exhibendus. Hic vero alimentoru
obſeruatio diligens neceſſaria eſt, quã nu
tanquam in tabula proponemus.

Alimentum dicitur τροφὴ. Et quemadm
dum genus ad corpus refertur, ſic etiam ſp
cies. Conſideraturque quatuor modis:

Alimenti conſideratio.

1 Secundum ſubſtantiam.
2 Secundum quantitatem.
3 Qualitatem.
4 Modum, vel occaſionem vtendi.

1 In ſubſtantia primum ſpectatur, pro
multum & bonum, vel paucum & malum

Subſtantia alimenti conſideratio.

2 Prout facile concoquitur: vt, oua ſorb
lia: vel difficilè, vt caro bubula.
3 Secundum rationem facilis & difficil
diſtributionis: vt, iuſcula, & carnes aſſatæ.
4 Prout facile putreſcit, vel nõ: ſic piſce
lac, oua, facilius corrumpũtur & putreſcu
in ventriculo, quam carnes ſolidiores.
5 An ſupernatet in ventriculo, vt pingui
vel, an petat fundum. Secundum hos grad
alimenti bonitas, ſecundũ ſubſtantiam ei
exploranda eſt, & collatum ad corpus adh
ber

pendum. Nam si alimentum præbet pau-
um & malum succum, si difficulter coqui-
ur, bene distribuitur, facile putrescit & su-
ernatat: quemadmodum fructus horarios *Fructus horarij.*
malos esse secundum omnes gradus con-
at.

Quantitas vel in mole, vel respectu vir- *Quantitatis alimenti cõsideratio.*
tis consideratur: vt libræ duæ olerum col
atę ad vncias duas carnis perdicum, quo ad
utritionẽ. In oleribus enim quantitas mo-
s, in carne perdicum virtutis spectatur. Sed
quarti Aphorismi commentario alia est
iuisio, secundum quantitatem. Plenus vi- *Victus plenus.*
tus est, qui impinguat, auget, & robur ad-
it: vt cum damus carnes, oua sorbilia, vi-
um. Tenuis, qui vel corpus, vel virtutem *Tenuis.*
ninuit: aut melicratum, ptisana. huius vsus
iquando est in acutis. Medius, qui conser- *Medius.*
at vtrunq; & conuenit in ægritudinibus
ronicis. Est & tenuissimus, ac proximus
ediæ. de quib. videnda Cõment. in lib. de
ictu acutorum: item lib. de Optima secta,
IX. Methodi: item Commentaria in totã
re primam particulã Aphorismorum. Hic
tem hoc monendum est, quod principio
ixi, victum tenuem in sanis & ægris nõ esse
ndẽ. Nam q tenuis in sano est, vt caro pul-
rũ: is corpore existente ægro, plenus cense
r. Ideoq; hæc tam in sanis q̃ ægris, relatio-
ad virtutem facta, intelligenda sunt.

Qualitatis alimenti consideratio. Qualitas cibi cõsideratur varie. Nam qu-dam cibi, præterquam quod transeunt i substantiam nutriti, calefaciunt: vt, caro co-lumbarum. quidam refrigerant: vt, lactuc &c. sic in secundis qualitatibus, quidã su grati odoris, quidam ingrati. Ita & penes g-stum: vt, dulce ne an pingue sit? Nam hi du tantũ sapores nutritioni conueniunt. Vnd quo res est amarior & acidior, eo minus nu-trit. Theophrastus his addit, saporẽ vinosi

Qualitates quoq; visibiles spectantur: colores. alba n. nigris in nutritione melio censentur. Sed hoc non perpetuo verũ e Nam licet caro pauonum sit alba, & paru rum auium nigra: melius tamẽ nutrit aui quam pauonis, propter plurimas fibras.

Modus vtẽdi alimenti quomodo cõsideretur. Quarto modus vtendi, cõsideratur pen tempus & ordinem: maxime autem pen motum morborum. Vices enim & mor tempora, præcipue victus instituendi rati nem præscribunt. Est & hic respectus corp ris habendus. Nã alia in calidis, alia siccis t peramentis, alia in obstructionibus, alia i fluxu conueniunt.

II. Propositum. Quia vero primo esse spectandas vir Medico, secũdo humores diximus: nunc d his quoque quædam monebo.

Humores boni quantitate nocent. Humores boni non alterantur in qualit te, sed quantitate nocere possunt: vt doc Galen. in Commẽt. 3. Aphoris. Qui autẽ h ben

ent humores bonos exuberantes, paucissi-
io victu indigent. Si humores nõ sunt cor-
ıpti, sed diminuti, dandus est cibus boni
utrimenti, & multi, quo ad virtutem: sed
aucus, quo ad molem.

Humores vero considerantur vel in sub-
antia, vel in modo substantiæ. In substan-
a, sunt crudi vel corrupti: in modo substã-
æ, crassi vel tenues. Crudis existentibus hu
ıoribus, vel in ventriculo, vel intra venas,
bus subtrahendus est: nec corpori exerci-
ım, sed quies præcipienda.

Humorum consideratio.

Humoribus autem corruptis & putridis
tistentibus, cõuenit cibus, & quidem mul-
s & humidus. Nam Arist. quarto Mete-
con docet, putrefacta habere humorẽ ex-
ustum, & caliditatem auctam præter na-
rã, eamq; esse igneam. igitur cum damus
oumhumidum, contemperatur calor, hoc
odo: Cibus enim exhibitus, calorem præ-
rnaturalem primo alterat: deinde cũ in nu
ımẽtum conuertitur, confortat. Viderint
itur Medici, quam recte faciant, qui in ta-
ous morbis tenuem victum præscribunt.
d hæc, cũ corruptis humoribus imbecil-
as virtutis adest, neq; sanguis mitti, neq;
acuatio institui debet, sed epicrasi vtendũ
t. Humores vero adusti contẽperandi sunt
ısculis. vnde in diarrhœa recte dãtur iuscu-
quia bilem contemperant. Et hæc con-

Humorum putridorum indicatio. Putrefactorum natura.

Humorum adustorũ indicatio.

tēperatio caloris in bile, est ꝓprie eius præ-
Humoris melancholici & pituitosi indicatio. paratio: sicut humoris melancholici hume-
ctatio æqualis, pituitæ abstersio & incisio.
Id quod non tantum medicamentis, sed vi-
ctus ratione efficiendum est.

Humoris in modo substātiæ considerati indicatio. In modo autem substantiæ considerat-
humoris, si crassus occurrit, indicat incisio-
nem victu attenuante: si tenuis, ad crassiti-
em deducendum, victu incrassante.

III.
Morbi indicatio. Tertium, quod à nobis fuit propositum,
est morbi essentia. Morbus vero nihil aliud
indicat, nisi curationem sui, quatenus est
morbus: vt habemus 3. Methodi. Cibus et-
iam nihil indicat, nisi substantiam augere,
Cibi indicatio & consideratio. minuere vel æquare. Quando igitur in mo-
bi cōsideratione de cibo cogitamus, fit hoc
per accidens. Quia enim ad retinendam vir-
tutem requiritur cibus, ergo cibatio est cau-
sa, sine qua non curatur æger. Morbus vero
potius indicat qualitatem cibi, quam quan-
titatem. Quia in cibo vel calefactionem, vel
refrigerationem, vel exiccationem, vel hu-
mectationem, requirimus. Atque hoc mo-
do non simpliciter vt cibus, sed vt medici-
nalis cibus adhibetur.

Morborum indicationes. Videndum igitur primo, ad quod genus
morbi præsens ægritudo referatur. Si enim
in cōplexione, eaque mala est, & frigida, ci-
bus offeratur calefaciens: & sic semper op-
posita qualitate vtimur.

S

Si morbus eſt in compoſitione, vt ſi obſtructio in viſceribus, vtendum amaris: quia ea abſtergunt & aperiũt. Si eſt laxitas, aſtringentibus: ſi aſtrictio, relaxantibus. Porro tales cibi recte medicinales dicuntur. Cibus enim abſolute eſt, cuius plurimum in ſubſtantiam corporis conuertitur, nulla facta alteratione ſenſibili in ipſo: & eſt totus in facultate paſſiua. Cibus vero medicinalis, non prorſus in ſubſtantiam corporis conuertitur: ſed ſenſibilem etiam alterationem ad calidum vel frigidum, &c. efficit. & partim in facultate paſſiua, parim in actiua eſt: vt, mel, vinum potens, ptiſana, &c. *Cibi conſideratio duplex.*

FINIS.

